

COMPENDIUM INSTITUTIONUM D. JUSTINIANI IMPERATORIS

P A R S . IV.

M E M B R U M . II.

*De modo acquirendi jus in re per successionem
ab intestato.*

L I B E R . III.

T I T U L U S . I . & sequentes.

De hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur.

1263 **I**mperator noster, viro modo universalí acquirendi rerum dominia per testamen-
tum, subjungit alterum, qui est successio ab intestato, cum autem tredecim tituli, quos hic proponit, ut plurimum con-
tingant jus antiquum, hinc illos consulo omitto, & materiam successionis tracto ad ducentum Nov. 118. itaque sit

N O V E L L A . C X V I I I .

*De hæreditibus ab intestato ve-
nientibus.*

Successio ab intestato est *jus* 1264 acquirendi hæreditatem, à lege citra expressam hominis disposi-
tionem delatam. Ita Franz. b.
n. 2. Unde hæreditas ita delata
dicitur hæreditas ab intestato, &
li 2 qui

qui ita succedit hæres ab intestato appellatur. Decedit autem quis intestatus, aut qui nullum testamentum fecit, aut qui tale non jure condidit, aut cuius testamentum ex post est infirmatum.

1265 Succedentium ab intestato quinque sunt ordines primus descendenteriam, secundus ascendentium, tertius collateralium, quartus conjugum, quintus filii, de hoc tractandum est alibi, dealis pro ratione instituti mei hic, de quo sit

C A P U T I.

De successione descendentiū.

1266 Regula 1. Defuncto intestato, exclusis ascendentibus & collateralibus, succedunt descendentes, sive liberi. *Nov. 118. Cap. 1. in pr. Auth. in successione, C. de suis & legit. liber.* Ratio est: quia, ut inquit Imp. in §. 2. *Inst. de hæred. qualit. & diff.* liberi condomini sunt bonorum parentalium, & hinc dominium in ipsis continuatur, non autem de novo acquiritur.

Manz. Epitome success. ab intest. Disc. 1. q. 1. n. 6. Causa autem hujus facti condomini proxima est commune parentum votum, præprimis liberis thesaurizandi, & reimota est effectio, ab ipso jure Naturæ præsumpta.

Ubi obiter notandum est 1. **1267** Hodie de jure Novellarum sublatam esse quo ad effectum successionis inter masculos, & foeminas, suos & emancipatos differentiam. *d. Nov. 118. Cap. 1. Ratio:* quia liberi parentibus succedunt sanguinis jure, prout patet ex diefis N. precedente, quali foeminae, & emancipati, æquè ac masculi & sui fruuntur.

Notandum 2. Succedere tam **1268** natos, quam posthumos, modo vivi & legitimi nascantur, quia hi, quando de eorum commodo agitur, pro natis habentur. *L. 7. ff. de statu hom.... adhac tam legitimos, quam illegitimos per subsequens matrimonium, admitti. s. 2. Inst. b. t.* Ratio: quia ita legitimati quo ad plurimos juris effectus naturalibus & legitimis equipantur.

Notandum 3. Liberos tam **1269** patri

patri quām matri succedere, nisi sint naturales tantum, hi enim

patri regulariter non, sed soli matri, intellige plebejæ, & ascendentibus maternis succedunt. Ratio est: quia solā naturali causā inspectā de jure novissimo succeditur. *Auth. in successionem C. de suis & legitim. lib.* quæ in matrem æquè ac patrem cadit.

1270 Dixi: Naturales tantum non patri, sed matri, & ascendentibus maternis succedere: quod intellige, si alii legitimū, & iusta conjux adfint, nam si nec hæc, nec illi extent, naturales ex hæreditate paterna saltem duas uicias capiunt. Ratio est: quia naturales tantum in juris consideratione liberi respectu patris non sunt, cum pater non sit, nisi quem justæ nuptiæ demonstrant, & hinc patet successionem in sextantem esse tantum eleemosinariam. *Auth. licet Patri &c. C. de natural. lib.*

1271 Notandum 4. Liberos tantum primi, quām secundi matrimonii communi parenti, sive patri, sive matri succedere. *Nov. 22. Cap. 29.* Ratio est: quia cum defuncto sint æqualiter li-

beri, eidein quoque æqualiter sint hæredes, est necesse.

Regula 2. Liberi primi gradus, id est: filii & filiæ, si soli sint, succedunt omnes æqualiter in capita, hoc est: ita, ut tot facienda sint portiones, quot sunt personæ, seu capita. *Auth. in successionem C. de suis & legitim. lib.* Ratio est: quia cum æqualiter sint liberi, quoque æqualiter debent esse hæredes, ne inter eos oriatur inæqualitas, quam ipsa naturalis ratio abhorret.

Regula 3. Liberi secundi, aut ulterioris gradus, hoc est, nepotes, neptes, prœnepotes & pro-neptes &c. cum liberis primi gradus, non in capita, sed in stirpes succedunt, id est: sunt facienda tot portiones, quot sunt familiae, sive secundus gradus in locum primi subintrando majorem portionem noni capit, quam primus, si existeret, accepisset. *Nov. 118. Cap. 1.* Ratio est: quia secundus gradus, ne per primum excludatur, jure representationis succedit, ergo majorem portionem capere nequit, quam primus gradus accepisset.

Regula 4. Liberi secundi, & ulterio-

terioris gradūs, etiamsi soli sint, non in capita, sed in stirpes succedunt. Ratio est: quod cum primus gradus condominium habeat bonorum parentalium, ex voto, in naturali affectione radicato, thesaurizandi descenditibus, consurgens, iste gradus plus in 2dum & ulteriores gradus non transmittat, quam suam quotam, ergo 2dus gradus in locum primi succedendo, jure imi gradūs venit. Vid. Manz. Epitome Success. ab intest. Dissert. 2. n. 67. & DDres passim.

COROLLARIA.

De successione descendantium.

1275 **Imum:** Ord. Electoratus Coloniensis tit. 2. §. 1. & 2. has juris Romani decisiones in thesi probat, tanquam aequas, easdemque statuit esse sequendas, nisi, ubi pactis dotalibus, quæ observanda sunt, aliud placuerit.

1276 **2dum:** Citata Ord. tamen §. 3. definit; in bonis immobilibus stante matrimonio acquisitis succedere liberos illius matrimonii, in quo acquisita sunt, &

per consequens liberos imi matrimonii in acquisitis in primo, & 2di in acquisitis in 2do succedunt. Dixi: *in bonis immobilibus acquisitis:* De mobilibus dicam infra de successione conjugum.

3tum: De Jure Leodiensi 1277 bona immobilia ex primo matrimonio, & singula alia ex familia, & a stipite, ut ajunt, procedentia, ad primi matrimonii liberos ab intestato spectant, subsequentiū matrimoniorum liberis exclusis. Verba sunt formalia Caroli de Mean. ad jus Leodiense Obs. 123. quod probat per art. 28. extenditque eundem art. ad bona etiam avita, subnexā ratione: eo quod omnia utriusque conjugis bona per matrimonium misceantur in unum patrimonium, & quod hujus proprietas in liberos imi matrimonii transeat.

4tum: De Jure ducatum 1278 Juliæ & Montium Cap. 74. & seqq. liberi imi matrimonii succedunt in bonis immobilibus hæreditariis, in illud matrimonium illatis, stante eo acquisitis, & per successionem viam quammodounque devolutis. (idem)

(idem cum proportione est dicendum deliberies 2di matrimonii) Dixi: *per successionem avitam devolutis: Nam si collateralia* stante viduitate devoluntur, in iis utriusque matrimonii liberi communi parenti succedunt.

¹²⁷⁹ 5tum: De Jure Agrippinensis liberi imi matrimonii in bonis, quibus ejusdem matrimonii parentes simultaneè adscripti sunt, nec non quæ à primò defuncti conjugis parentibus prævenerunt, uti & in una mobilium, tempore imi matrimonii possessorum, medietate succedunt. Prout Anno 1632 à variis Jcti decisum est. Quod cum proportione liberis 2di & 3ti matrimoniorum applica. Vid. §. 19. & 20. *Edicti summarii.*

¹²⁸⁰ 6tum: In Marchia Brandenburg. descendentes succedunt in una bonorum tam immobilem dimidia. *Joachim. Scheplitz in consuet. Brandenb. p. 3. tit. 2. §. 17.*

¹²⁸¹ 7mum: In Electoratu Trevirensi liberi hæredes sunt proprietarii omnium bonorum immobilium, à defuncto relictorum, & medietatis in matrimonio

nio acquisitorum. Statut. *Trevir. tit. 4. §. 16.* in exsolutione debitorum immobiliarum, stante matrimonio contractorum, cum superstite concurrentes. Statut. loc. cit. §. 25.

8vum: Liberi Electoratus ¹²⁸² Coloniensis succedunt in as alienum recognitum & in annum redditum expositum. Arg. Ord. *Elect. Colon. tit. 8. §. 5.*

9num: Descendentes duca ¹²⁸³ tuum Juliae & Montium 2di, & ulteriorum matrimoniorum erga successionem mobilarem portant debita mobilia. Statut. *Jul. Cap. 74. Melchior Voets in hist. fin. Jul. n. 209.*

10mum: Aes alienum Leo- ¹²⁸⁴ diense immobile sequitur liberos primi thori, quæ hæredes immobiliares. *Carolus de Mean. in jus Leod. obs. 57. n. 8.*

11mum: In Marchia Brandenburgensi debita, ante divisionem ratarum inter superstitem, & liberos, ex bonis deducuntur. *Joachim Scheplitz in consuet. Brandenb. p. 3. tit. 3: §. 2. 3. 4. 5.*

12mum: Liberi Agrippinenses ad debita, à superstite conjuge contracta, ex bonis, à præ-

prædefuncto per scrinium communicatis, non tenentur, nisi mobilibus se immiscuerint. Statut. Urb. p. 1. art. 14.

C A P U T II.

De successione ascendentium.

1287 Regula 1. in defœctu descendentiū hæreditas defuncti parentibus desertur: Nov. 118. Cap. 2. Rationem dat JCitus Papinianus in L. 7. §. fin. ff. si tabulæ testam. nullæ, unde liberi, quia parentes ad liberorum hæreditatem admittit miserationis ratio, liberos verò simul naturæ, & parentum commune votum, per consequens sicuti liberis hæreditas parentum pacto tacito debetur, ita hæreditas liberorum parentibus pacto tacito reciproco. Ubi

1288 Observandum est: omnes illos parentes cum proportione iis liberis succedere ab intestato, quos supra dixi succedere parentibus, v. g. quia filius bastardus regulariter succedit matri, hinc & mater bastardo succedit. Ratio est: quia successiones rigorosè tales sunt reci-

procæ, & vicissitudinariæ, hinc quia successio bastardi in hæreditate patris, nec legitimam sobolem, nec justam conjugem habentis, usque ad sextantem est tantum eleemosinaria, pater bastardo suo nequidem in sextante succedit.

Regula 2. Parentes primi gradus, id est: pater & mater, saltem si soli sint, pariter liberis succedunt æqualiter. Nov. 118. Cap. 2. Ratio: quia miserationis ratio, tanquam successionis parentalis causa, æquè pro matre, ac pro patre militat. Unde de jure Communi inter bona paternæ & materna non est facienda distinctione, tum quia Nov. 118. loquitur indefinite, tum quia postquam bona semel ad filios pervenerint, desinunt esse paternæ & materna. Manz Epitome success. ab intestat. Diss. 3. q. 2. n. 12. § seqq... ubi n. 19. fallentiam admittit in profectitiis, quæ pleno jure pertinent ad patrem. per §. 1. inst. per quas pers. nob. acquir.

Regula 3. Parentes imi gradus excludunt parentes 2di & ulteriorum graduum, proximiores gradu enim reliquis præponun-

ponuntur Nov. 118. Cap. 2. in dīs. 4. q. 3. n. 9. Unde si defun-
ctus relinquat patrem, matrem,
& tres fratres germanos, hæ-
reditas dividitur in quinque
portiones.

Regula 6. Cum parentibus 1293
sive 1mi sive ulteriorum gra-
duum, & fratribus germanis
succedunt quoque fratrum præ-
defunctorum filii jure repræ-
sentationis, sive in stirpes, tan-
tas accepturi portiones, quan-
tas parentes ipforum accep-
fent. Nov. 127. Cap. 1. per quam
Nov. 118. in hoc passū est cor-
recta. Hinc sit defunctus pa-
trem, fratrem germanum, &
ex altero præfuncto decem
nepotes reliquerit, hæritas in
tres portiones dividetur.

Regula 4. Parentes 2di vel
ulterioris gradū, defuncto
æqualiter conjuncti, æqualiter,
non attento, unde bona profe-
cta sint, succedunt, non tamen
in capita, sed quasi in lineas,
ita, ut ascendenties paterni unam
& ascendentes materni alteram
dimidiam capiant, licet etiam
personarum numerus foret in-
æqualis. Nov. 118. Cap. 2. §. si
autem &c. Först. loc. cit. concl.
3. n. 5.

Regula 5. Cum parentibus
sive 1mi, sive ulteriorum gra-
duum succedunt simul fratres
& sorores germani in capita.
Nov. 118. Cap. 2. §. si vero &c.
Manz, Epitom. success. ab intest,

Regula 7. Cum ascendent- 1294
bus etiam succedunt fratrum
germanorum filii, licet cum
hiis suis non concurrant; at
non in capita, verùm in stirpes.
Först. lib. 7 cap. 7. n. 2. Manz,
loc. cit. n. 61. Ratio: quia quan-
do cum ascendentibus succe-
dunt, non veniunt jure proprio,
sed jure alieno, per consequens
majorem portionem capere ne-
queunt, quam ii, quos repræ-
sentant.

1295 At dubium est: an, sicuti fratribus concurrentibus ascendentes succedunt in capita, ita pariter solis fratrum germanorum filiis cum linea ascendantali succedentibus ascendentes succedant in capita? Negat Förster. lib. 7. cap. 7. num. 3. quia fratrum filii ex se non habent, quod in capita succedant, & hinc non possunt turbare succedendi ordinem. Contra Manz. Diff. 4. q. 3. n. 76. affirmat, tum quod per Nov. 127. in rub. fratrum filii succedant ad imitationem fratrum, tum quod jure representationis & parentum suorum veniant. Ad rationem Förstери respondet: successionem hic regulandam esse ex fratrum personis, quos filii representant; cui sententiæ & ego subscribendum puto.

COROLLARIA

De successione ascendentium.

1296 Imum: Regula 2da N. 128. posita de successione patris & matris in Electoratu Colonensi procedit cum distinctione inter bona pa- & materna, nam in

paternis pater succedit, in maternis mater, in reliquis autem æqualiter concurrunt. Prout statuit Ord. tit. 3. §. 1. quemadmodum quoque in eadem Ord. §. 3. & 4. regula 4ta N. 1291. stabilita de successione ascendentium ulterioris gradus sub eadem distinctione approbatur.

1297 2dum: In Electoratu Coloniensi vi Ord. tit. 4. §. 2. ascendentes 2di & ulterioris gradus, cum defuncti fratribus germanis & eorum filiis concurrentes, non succedunt in capita sed quasi jure linearum, secus ac de jure communi per Regulam 5tam N. 1292. traditam; unde si defunctus reliquerit avum paternum ab uno latere, & ab altero avum & aviam maternos, & insimul fratres germanos, aut eorum filios, avus & avia materni pro una persona reputantur, & majorē portionē non capiunt, ac solus avus paternus.

3tium: In ducatis Juliae & Montium parentes, cum defunctorum liberorum fratribus succedentes, in bonis, à prædefunctis conjugibus ad filios devolutis, succedunt tantum usufructu tenus, ita ut ista talia bo-

na parentibus mortuis ad fratres filii defuncti bilaterales revol vantur, ultimo autem ex libe ris defuncto pleno jure suc ce dunt. Statut. Jul. cap. 82.

1299 4tum: In principatu Lœdien si ascendentis tam mater quam pater, & iis deficientibus avi & aviæ succedunt in descend entium bonis, pleno jure ad eos pertinentibus, cum exclusione fratribus & sororibus germano rum. Statut. Leod. Art. 38. etiam absque distinctione inter bona paterna & materna. Caro lus de Mean adjus Leod. Obs. 132. n. 2. & seqq.

1300 5tum: De jure Agrippinen sium consuetudinario ascenden tes 1 mi gradū excludunt in suc ce ssione defuncti fratres & so rores germanos; quo ad assen dentes tamen 2di, & anteriorum graduum dispositio juris Com munis, quo fratres concurrunt, locum habet. Ita eodem Anno 1632. consuluerunt Colonienses Jcti & professores. §. 22. & 23. Edict. summaris.

1301 6tum: Parentes Trevirenses uni ex liberis cum reliquis suc cedentes, admittuntur ad solum utrum. Statut. Trevir. tit. 4. §. 6.

C A P U T III.

De successione collateralium,

Regula 1. Neque liberis ne 1302 que parentibus existentibus, suc cedunt defuncto æqualiter fra tres & sorores germani cum re liquorum collateralium, imò ipsorummet consanguineorum fratribus & uterinorum exclu sione. Nov. 118. cap. 3. tum quia ipsi reliquis consanguineis sunt gradu proximiores, tum quia consanguinei & uterini de functo uno duntaxat vinculo sunt juncti.

Regula 2. Cum fratribus ger manis quoque succedunt alterius fratris prædefuncti filii jure representationis, cum parili consanguineorum & uterino rum exclusione. Nov. 118. cap. 3. Ratio mihi videtur stare in vinculi duplicitate, quæ, si cuti ipsos germanos consanguineis & uterinis prætert, ita illo rum filios. Unde conjectarium est: quod fratribus filii cum thiis suis concurrentes, in locum suo rum parentum subintrando, tantam portionem solummodo

capiant, quantam ipsorum parentes, sive verent, tuissent accepturi.

 1304 Regula 3. Fratrum filii si soli sint, de jure Germaniae in nostris partibus succedunt in capita, non in stirpes: prout Carolus V. Imp. in R. J. de anno 1529. decidit, quidquid sit de jure Justinianæ. Ratio est: quia eo casu non tam parentum suorum jure, quam potius ex propria persona veniunt, habentes idem jus agnationis & cognationis.

 1305 Ampliatur: ut, licet hoc casu fratrum filii non veniant jure representationis, fratribus defuncti consanguineis & uterinis tamen anteferantur. Ratio est: quia licet fratrum filii soli sint, & parentes suos non representent, attamen defuncti duplice vinculo sunt conjuncti, jam autem vinculi duplicitas locum facit prælationi. Manz. Epit. success. ab intest. Diff. 5. q. 1. n. 52. § 77.

 1306 Regula 4. Post fratres germanos, & eorum filios proximè succedunt fratres unilaterales cum cæterorum consanguineorum, etiam nepotum ex germanis, & thiorum defuncti exclu-

 Tit 1. & seqq.

sione. Nov. 118. cap. 3. Audi. Post fratres C. de legitim. hered. Ratio: quia ultra fratrum filios nec jus representationis, nec vinculi duplicitas attenditur, cit. cap. 3. Nov. 118. ibi: hujusmodi autem privilegium &c.

 1307 Regula 5. Concurrentibus fratribus consanguineis, & uterini, aut horum & illorum filiis, illi in paternis, hi autem in maternis, at in bonis aliunde quæsitis æ qualiter succedunt. L. 13. C. de legitim. hered. Rationem dat Fösterus. De success. ab intest. lib. 8. & Manz. Diff. 5. q. 3. n. 7. èo quod aliquid sit tribuendum parentum votis, qui desiderant bona sua ad proprios suos liberos quam longissime transmittere.

 1308 Regula 6. Sineque fratres neque eorum filii adsint, succeditur juxta gradus prærogativam in capita. Nov. 118. cap. 3. in f. Ratio: quia collaterales ideo ad successionem vocantur, cum defuncto sint sanguine juncti, ergo propinquiores sanguine remotiores excludunt.

* * *

*ad ius Leodiensium Obs. 103 p. 1.
per tot. ubi n. 7. statuit: quod
si ob repudiationem thii fra-
trum filii soli succederent, non
in capita, sed in stirpes sint suc-
cessuri. Rationem dat: eo quod
hæreditas statim à morte defun-
cti delata sit in stirpes.*

*4tum: De jure Agrippinen- 1312
sium in hac collateralium suc-
cessione nihil specialis obtinet.
Prout patet ex responsis J. Ctorum
Coloniensium s. 27. & 28. adeo-
queo jure etiam traditis regulis
est insistendum. Edict. summa-
riis §§. cit.*

C A P U T IV.

De successione conjugum.

*1310 2dum: De jure ducatum Ju-
liæ & Montium speciale est,
quod bona per successionem re-
volvuntur ad lineam unde. Sta-
tut. cap. 88. Et hinc gradus re-
motior, constitutus tamen in
linea, unde bona provenerunt,
præfertur alteri proximiori.*

*1311 3tum: Doctrina de suc-
cessione collateralium tradita con-
formis est juri Leodiensium, uti
patet ex Art. 6. Stat. Leod. nec
non traditis per Carol. de Mean.*

*Regula 1. Si defunctus neque 1313
consanguineos reliquerit intra
decimum gradum # conjux su-
perstes regulariter omnes alios
habiles ad succedendum v. g.
cottagea, curias, hospitalia &c.
a successione excludit. L. I. C.
unde vir & uxor. Ratio, quæ
Prætorem movit, stat in infinitis
conjugii oneribus. Försterus
lib. 9. cap. 3. n. 1.*

*Regula 2. Si matrimonium 1314
est*

est finē dote, & præmoriens
dives, superstes autem pauper,
tunc in casu existentium trium
aut pauciorum liberorum su-
perstes una cum iis succedit in
quartam, at in casu existentium
plurium in partem filialem sive
æqualem. Auth. præterea C. Un-
de vir & uxor. Manz. dissert. 8.
n 23. Ratio: ne superstes men-
dicare cogatur.

COROLLARIA

De successione conjugum.

1315 1um: De jure Electoratū
Coloniensis conjux superstes in
casu non existentium libero-
rum, aut quod nulli nati sint,
aut quod vivis parentibus dece-
serint, consequitur 1mō: do-
tem, aut donationem propter
nuptias proprietariè. 2dō: usumfructum omnium immo-
bilium tam in matrimonium il-
latorum, quam eo stante devo-
lutorum & acquisitorum. Ord.
Col. tit. 8. §. 3. § 4.... 3tiō:
mediatatem immobilium ma-
trimonii tempore acquisitorum,
etiam quo ad proprietatem. d.
§. 4. 4tō: omnia mobilia, cum

onere tamen exsolvendorum
debitorum mobilarum. Ord. d.
tit. 8. §. 5.

Dixi: In casu non existentium 1316
liberorum: Nam casu quo liberi
exstant; superstes quidem con-
sequitur mobilia, at dotis aut
donationis propter nuptias, nec
non immobilium, stante ma-
trimonio ad defunctum devo-
lutorum æquè, ac acquisitorum
tantum habet usumfructum.
§. 6 d. t. 8.

Quæres: Quid autem dicen-
dum est de immobilibus, disso-
luto matrimonio ad liberos de-
volutis? Resp. Horum quidem
etiam superstes usumfructum
habet; at tantum eo usque, do-
nec liberi; post adeptum tamen
annum 25. à parente usufru-
ctuario se separant.

2dum: Consuetudines Leo- 1318
dienles pariter distinguunt inter
casum, quo liberi exstant, &
casum, quo tales non exstant;
Priori casu ordinat Art. 15. stat.
Leod. omnia immobilia quo ad
proprietatem affici liberis, su-
perstitem conjugem verò suc-
cedere in eorundem usufructu,
nec non in mobilibus, rebus
creditis & actionibus personali-
bus

bus pleno iure. Carolus de Mean
ad jus Leod. Obs. 112. p. 1. ubi
vide.

1319 At verò casu quo soluto ma-
trimonio nulli liberi exstant,
uxor jure coniubii, quod ma-
nuspligatae vocant, succedit re-
gulariter in omnibus & quibus-
libet bonis à marito relictis, un-
decunque illa provenerint. Art.
13. statut. Leod. quorum bono-
rum dominium maritus in casu
posito magis propriè dicitur
continuare. Laud. Mean. obs. 110.

1320 ztiūm: In ducatis, Juliae
& Montianum, matrimonio, nul-
lis liberis relictis dissoluto, ulti-
mò superstes consequitur, seu
potius continuat dominium me-
diatatis bonorum stante matri-
monio acquisitorum, prout
judicatum refert Voets in app.
hist. Juliae. n. 158. (ubi num.
seqq. declarat quæ bona sint
communia.) In his ducatis
enim inveteratà consuetudine
est receptum, ut bona constante
matrimonio acquisita commu-
nia fiant. Laud. Voets in hist. jur.
Jul. n. 92.

1321 Verùm in casu, ubi liberi ex-
starent ex tali matrimonio, ulti-
mò superstes conjux Imprimis

consequeretur usumfructum
omnium bonorum devoluto-
rum, de quibus egi n. 1278. (pro-
ut statuit Stat. Cap. 95. & Deinde
omnia mobilia d. Cap. 95.)
& hæc ultima decisio ampliatur
ad casum etiam non existentium
liberorum, eo quod Statutum
non distinguat. Voets loc. cit.
n. 207.

4tum: De Jure Agrippi-
nensium ultimò superstes in casu
non existentium liberorum con-
sequitur unam medietatem mo-
bilium. Art. 10. Stat. Colon. n. 1.
& immobilium, sive in matri-
monium illatorum, sive aliunde
per successionem devolutorum,
sive etiam stante matrimonio
acquisitorum, (quibus uterque
conjugum est adscriptus tam
per Scrinium, quam per literas
sigillatas) & alterius medietatis
immobilium usumfructum. art.
11. Stat. Col. p. 1. at in casu li-
berorum non existentium ultimò
superstes habet dunitaxat usum-
fructum immobilium per Scri-
nium, aut literas sigillatas com-
municatorum, & medietatem
mobilium.
5tum: In Electoratu Trevi-
rensi ultimò superstes in casu
non

~~non existentium~~ liberorum con-
sequitur medietatem mobilium,
ex altera dimidiā, quartā re-
siduā ad quartum gradum in
confanguineos devoluente. Sta-
tut. Trevir. tit. 6. s. 6.

¹³²⁴ 6tum: Ad ultimō superstitem
Trevirensē pertinet medietas
immobilium acquisitorum, &
alterius usus. Statut. Trevir.
tit. 6. s. 8.

¹³²⁵ 7tum: In casu existentium
liberorum ultimō superstes
Trevirensis habet proprietate
tenus unam acquisitorum im-
mobiliū dimidiā. Statut.
Trevir. tit. 6. s. 16. & usumf.
immobilium pa- & maternorum
ad liberos devolutorum. Sta-
tut. Trevir. loc. cit. s. 17.

¹³²⁶ 8vum: In Electoratu Coloniensi
ultimō superstes, quā
hāres mobilis portat omnia
debita, per literas non recog-
nita, neque in annuos redditus ex-
posita. Ordin. Elect. Colon. tit.
8. §. 5. In Electoratu Trevirensi
debita mobilia ex mobilibus
detrahuntur. Statut. Elect. Tre-
vir. tit. 6. s. 24.

9num: In ducatis Juliae ¹³²⁷
& Montium conjux superstes,
quā hāres mobilis, ad debi-
ta mobilia tenetur. Melchior
Voets in histor. jur. Juliac. n 209.

10mum: In principatu Leo ¹³²⁸
dierū debita mobilia trans-
eunt in superstitem conjugem,
& 1dum matrimonium. Caro-
lus de Mean in jus Leod. obf. 57.
n. §.

11mum: Debita conjugum ¹³²⁹
in Marchia Brandenburgensi
inter superstitem & defuncti
hāredes communicantur Arg.
Trad. à Joachimo Scheplitz ad
conspic. Brandenb. p. 3 tit. 3. §. 2.

12mum: Ultimō superstes ¹³³⁰
conjux Ubio - Agrippensis,
egipto thoro sine liberis, susti-
net, in quantum hāres præde-
functi est, æs alienum, excep-
tione dotis, aut donationis prop-
ter nuptias, locum non haben-
te. Statut. Urb. p. 2. art. 37.
At ex separata negotiatione su-
perstes pro defuncto non tene-
tur. Concl. Senat. de 30. Junij
1640.

quod
Debita

COMPENDIUM INSTITUTIONUM D. JUSTINIANI IMPERATORIS

P A R S V.

De modo acquirendi jus ad rem.

T I T U L U S X I V.

De obligationibus.

1331 **C**onsiderato jure in re tam
absolutè , quām relatè,
puta : dominio , inspi-
ciendum modo est jus ad rem ,
ubi de obligatione ipsa , & cau-
sis illius tractatur. Franz *in pro-
cesso*. Est autem obligatio *ju-
ris vinculum* , quo necessitate
astringimur alicuius rei solvendæ ,
secundum Civitatis nostræ jura.
pr. Inst. h. ubi Notandum:
Verba illa : *rei alicuius solvendæ* ,
generaliter esse accipienda , ita
ut res complectatur quoque fa-
cta , & *solvere* quamcunque
præstationem & satisfactionem

contineat. Manz. *ad Inst. h. de
def. oblig. n. 5.*

Obligatio duplex alia *pura*, 1332
alia *mixta*. Puram DDres divi-
dunt in merè naturalem & me-
rè civilem. Illam dicunt juris
vinculum ad præstandum id , quod
solo jure Naturæ debetur. v. g.
quæ oritur ex nudo pacto , ex
conventione patris cum filio &c.
Franz. h. n. 5. § 6. Merè ci-
vilis vocant *juris vinculum astringi-
gens ad præstandum id* , quod
solo Jure Civili debetur , & hanc
exemplificant in literarum & ex
contraetu ; metu inito , consur-
gente

¹³³³ Mihi omisis scholasticis disputationibus placet sententia *Mulleri ad Struv. Exer. 6. th. 12. lit. A.* quod, si formam obligationis *absolutè & nativitatem actionis* respiciamus, obligationi, quam vocant merè civilem, nomen obligationis *tantis per dengandum* non sit, cum exceptio sit facti, & ex eventu oppositio- nis dependeat, attamen quia Prator eandem ob deficientem æquitatem enervat, obligatio *in effectu pro nulla* habetur, cum finem suum non consequatur, nihil enim interest, utrum quis nullâ obligatione stringatur, utrum illam, quâ vinculatur *secundum dici*, per exceptionem possit infirmare. Arg. L nihil de R. J. ita laud. *Mullerus.*

¹³³⁴ Mixta obligatio est juris vinculum, astringens ad prastandum id, quod utroque simul & Naturæ & Civili jure debetur, & hac oritur ex negotiis utroque jure validis. *Franz. b. n. 11.* qualia negotia sunt contractus &c.

¹³³⁵ Obligatio oritur aut ex variis causarum figuris, aut ex facto. Per varias causarum figures hic

intelligimus specialem legis dispositionem, citra respectum ad contractum alicuius, aut delictum, qualiter parentes obligantur ad alimenta &c. Factum est duplex, *absolutum*, quod in specie dicitur actus v. g. legitimatio, testamentum &c & obligatorium, quod triplex est in Pollicitatio, quia est spontaneum voventis, aut offerentis promissum Ecclesiae, vel Reip. factum, & si illi fiat, dicitur votum, si huic, intellige ob causam v. g. incendii, ruina &c est in specie pollicitatio. .. 2dò: Delictum... 3tò Cenno nro. *Struv. Exercit. 6. th. 4.*

Conventio est vel pactum in ¹³³⁶ specie vel contractus. Pactum in specie est duorum vel plurium in idem placitum conventio, substituta & nomine & causâ. Unde emptio - venditio, locatio-con ductio &c. non sunt pacta in specie, quia specialia nominata habent. Adhac nec permittatio, nec alii contractus in nominati sunt pacta in specie, quia causas speciales habent v. g. rei dationem, aut facti præstacionem, ut alter vicissim det, aut faciat &c. *Franz. b. n. 11.*

1337 Paetum in specie aliud est *nudum*, aliud *non nudum*, seu *vestitum*. Illud per L. 27. C. de locat, est, quod in nudis placiti finibus stat, seu ut explicat Franz. h. n. 14. quod neque nomen. neque causam, neque etiam ullam de Jure Civili firmitatem obtinet, ut actionem producere valeat. v. g. convenit, ut tu par boum mihi, & ego tibi equum commodarem. Hoc, sive vestitum paetum est, quod, licet destitutum sit & nomine & causâ, eam tamen in jure habet firmitatem, ut lege, vel contractu adminiculante in foro Civili actionem producat. Tale paetum est donatio. §. 2. Inst. de donat.

1338 Dixi: Nudum paetum de Jure Civili actionem non producere. Nam de hodierna praxi & consuetudine Germaniae est indubitata sententia, etiam nudum paetum actionem (quam conditionem ex moribus vocant) producere. Brunn. ad L. 7. ff. De paet. Vid. Vitria. h. n. 22. Ratio: quod apud Nos fides qualitercunque data, sit servanda.

1339 Altera species conventionis

est contractus, seu conventio vel nomen proprium, vel causam specialem habens. Arg. L. 7. s. 1. & 2. ff. de pactis.... Alius est verus, alias quasi talis. Verus est, in quo verus contrahentium consensus intervenit; sive expressus, sive etiam tacitus, sine legis presumptione tamen v. g. emptio, mandatum, mutuum, stipulatio &c. Quasi contractus est, qui consensu tacito, à lege presumpto, perficitur, nim. negotiorum gestio, tutelæ administratio &c.

Contractus verus abit in no. 134^o minatum, & innominatum. Ille est, qui habet nomen proprium, sibi à jure attributum. Arg. d. L. 7. s. 1. ff. de pact. Quales sunt contractus reales, consensuales &c. Innominatus est, qui non habet nomen proprium, habet tamen causam. Arg. d. L. 7. §. 2. v. g. permutatio, quæ licet nomen generale habeat, praedicabile de pluribus contractibus, specie distinctis, puta: emptione venditione, locazione conductione &c. speciali tamen destituitur Adhæc causam quoque habet permutatio, eo quod non nisi rei per-

mutandæ traditione perficiatur. *interim Vid. Glest. p 3 cap. 2 n. 2.*
Vid. Franz. b. n. 41.

¹³⁴¹ Contractus denuò dividitur in contractum *bonae fidei*, & *stricti juris*; Pro cuius divisionis intellectu notandum est ex Boehmero *intr. de action. scit. I. Cap. 3. §. 12. 20. & seqq.* Conventio-num apud Romanos duo fuisse genera, primò naturales, quæ apud omnes gentes obtinebant. v. g. emptio venditio, locatio-conductio &c... 2dō Civiles & solennes, quæ peculiare in suam formam & indolem à solo jure Romano acceperunt, v. g. stipulatio &c. Nam conventiones non tantùm solennibus verbis, ore prolatis, sed etiam scriptis fiebant, uti patet ex *L. 2. §. 1 ff. de O. & A.* ubi ad contractum consentualem neque verborum, neque literarum proprietas, hoc est: solennitas exigitur. Exemplum fortè est apud Theophilum in *Paraph. græca Inst. Lib. 3. tit. 23.* hac formula scripta: *centum, quos mihi ex locationis causa debes, tu mihi ex conventione literarum dabis? dabo ex conventione literarum mearum.* Boehm. §. 28. *Lit. G. de quo infra ad tit. de litera. oblig. plura.*

His præsuppositis dico cum ¹³⁴² cit. Boehm. §. 29. contractus stricti juris esse contractus formularios, in quibus solennitas à Jure Civili præscripta observan-da erat, quales sunt stipulatio, & contractus literarum &c. Non obstante: quod mutuum non sit contractus formularius & tamen stricti juris, cum inde usuræ non debeantur, nisi in stipulationem deducetæ. Nam quod usuræ ex mutuo non debeantur, est, quia mutuum est contractus gratuitus. Boehm. §. 33. Contractus *bonae fidei* sunt contractus, qui ad certam contrahendi formulam non erant re-stricti. v. g. emptio, locatio &c. Ex quibus

Infertur: Hodie in foro no-stro non amplius dari contractus stricti juris, quia hodie remissæ sunt solennes illæ contrahendi formulæ, unde ne quidem fiducijs amplius est stricti juris, quia formula, ob quam stricti juris erat, hodie deficit, & licet adhuc hodie in scriptis contra-hamus, inde tamen negotium minimè alteratur, nec stricti juris efficitur, cum non quævis scrips-

scriptura, sed quæ sit forma solenni, negotium stricti juris efficiat. Boehm. loc. cit. §. 44. §. 45.

1344 Denique contractus dividitur in realem, verbalem, literalem, & consensualem. Realis est, qui ad suū perfectionem substantialiter requirit rei interventionem, v.g. mutuum, commōdum, depositum, pignus..... Verbalis est, qui ad suū substantialiam exigit verborum ore prolatorum interpositionem v.g. stipulatio..... Literalis est, qui literis scriptis solūmodo, & non alter perfcitetur, de quo infra. Denique consensualis est, qui substantialiter perfectus est, solo consensu interveniente. v.g. emptio venditio, locatio conductio, societas & mandatum. *de quibus in progressu.* Ex quibus

1345 Deduces: Aliud est contractum perfici, aliud est eundem consummari, ita contractus perficitur per id, quod forma substantialis intervenerit, at consummatur prius tunc quando hinc inde adimpletur, v.g. emptio venditio perficitur solo consensu in mercem & pretium, at consummatur per mercis tra-

ditionem, & pretii numerationem, aut si fides de pretio habeatur, cum contra mutuum non perficiatur per consensum in traditionem rei mutuandæ v. g. pecunia faciendam, sed tantum per pecunia numerationem.

TITULUS XV.

Principium de mutuo,

Sequuntur contractum verorum & nominatorum & quidem realium species, inter quas *ima est mutuum*, quod describitur *contractus realis*, quo res fungibilis alteri gratis ed lege datur, ut res ejusdem generis, & in eadem bonitate restituatur. L. 3. ff. de reb. Cred. Brunn, ibidem. n. 1. Unde

Sequitur 1. Quod cum mutuum sit contractus *realis*, non perficiatur, nisi per rei interventionem; juxta superius dicta. Et hinc prōmissio de mutuando mutuum non est, sed nudum pactum, cum eo casu mu-

258

Inst. Lib. 3. Tit. 15.

tui forma deficiat. *Widmond. ad ff. de reb. Credit. n. 14.*

¹³⁴⁸ Sequitur 2. Quod materia mutui non sit, nisi res fungibilis, hoc est: quæ numero (v.g. pecunia numerata) pondere (pata: aurum) & mensura (intellige vinum) constat. Ratio est: quia finis mutui est, ut tantundem restituatur, & hinc res restituenda, distincta à re accepta, huic debet adæquatè posse commensurari, quod in speciebus rarissimè fit, sed solis rebus fungilibus. *Widmond. loc. cit. n. 18.*

¹³⁴⁹ Sequitur 3. Rem fungibilem in contractu mutui dari, hoc est: ejusdem dominium transferri debere, nam cum finis mutui sit, ut mutuatarius re mutuò acceptâ uti possit, atque rei fungibilis usus consistat in abuso, tive consumptione, hinc sine dominii translatione mutuum non contrahitur, eo quod re non suâ nemo jure utatur. Ex quo porro

¹³⁵⁰ Sequitur 4. Ex parte mutuari duo esse necessaria i^mum: ut ipse rei mutuò dandæ sit dominus. *L. 2. s. 1. ff. de Reb. Cred.* quia nemo plus juris in alium

transferre potest; quam ipse habet. 2dum: ut facultas transferendi dominii ei non sit adempta, quales sunt prodigi, pupilli, à tutorum autoritate præscindendo. *Vitria h. n. 50.* Inde præterea

Sequitur 5. Rem mutuatam ¹³⁵¹ perire mutuatario, non mutuanti, quia mutuatarius rei mutuatæ est dominus *pr. Inst. b. t.* jam autem res perit suo domino.

Sequitur 6. In mutuo ultra ¹³⁵² sortem capitalem regulariter nihil peri posse, cum mutuum sit contractus gratuitus. *Manz. ad Inst. h. n. 16.* quidquid enim ultra sortem percipitur, usura est, à jure improbata. *L. improbum 20. C. ex quib. Causis infam. irrugetur.*

Dixi: Regulariter: Nam in ¹³⁵³ grati animi tesseram aliquid offerri, uti & ob lucrum cessans & damnum emergens licet aliiquid accipi potest. *Manz. n. 17. & 18.* Ratio: quia quod ita accipitur compensatio est damni emergentis, & lucri cessantis.

Sequitur 7. Neque vino mu-¹³⁵⁴tuato frumentum, neque pecuniâ mutuò datâ oleum restitu posse,

posse, aut debere. Ratio est: quia mutui essentia exigit, ut tantundem in eodem genere restituatur, jam autem vinum & frumentum, pecunia & oleum, res sunt diversi generis, prout pater considerant.

1355 Sequitur 8. In mutuo pecuniae bonitas temporis contractus intrinseca (quaeratur consistit in materia, pondere & forma. *L. i. ff. de contrah. empt.*) est spectanda, adeo, ut etiam juxta hanc, si eandem contigerit diminui, v.g. quod numerus ære contaminetur, restitutio fieri debeat. *Carpz. p. 2. const. 28. def. 4.* Ratio est: quia in moneta publica quasi ad substantiam necessaria sunt hæc duo: probitas materiæ, & debitum pondus, prout probat *L. i. C de veter. nummis. potest lib. 11.* & hinc solus valor substantiam nummi non constituit. Unde debitor non restituendo eandem bonitatem intrinsecam, licet eundem valorem, tantundem non restituit, quod *L. 3. ff de reb. Cred.* & naturæ mutui repugnat.

1356 Sequitur 9. Quod si autem bonitatem intrinsecam temporis contractus contingere au-

geri, manente nihilominus eodem impositio valore (quod tamen rarissimum est) non posset cogi debitor ad solutionem faciendam in speciebus ita auctis in intrinseco valore. Ratio est: quia eo casu creditor lucrum haberet contra mutui indolem. Ita *Carpz. loc. cit. Et DDres apud Berlichi. p. 2. concl. 35. n 37.*

Sequitur 10. Monetæ bonitate extrinsecâ (quaeratur consistit in valore impositio) aucta, manente eadē bonitate intrinsecâ, solutionem faciendam esse in eo valore, qui fuit tempore contractus, non quasi debitor deducere posset accrementum, sed quod species monetarum mutuatae pluris non aestimantur, quam juxta valorem tempore contractus usitatum. *Carpz. loc. cit. Def. 5. per tot. nec non Lib. 5. resp. 93. pertot.* v.g. licet Imperialis mihi mutuatus 80 albis valuerit, hodie autem, aucto valore extrinseco, aestimetur centum & ultra, non teneror tamen Imperiale mihi restituendum nisi pro 80. albis, quales erant tempore contractus, acceptare. Ratio est: quia constat, manente eadē boni-

bonitate intrinsecâ nummi grossi, v. g. Imperialis, augeri ideo regulariter ejusdem valorem extrinsecum, quod pecunia minutæ, v. g. albi, siant deteriores, adeoque si debitor posset hoc augmentum deducere, creditor non reciperet nisi 80. albos deteriores, cum ipse tamen 80. bonos credidisset, atque ita non reciperet tantundem. *Vid. Kitzel.* quondam Pro cancellarius Academiæ Gießenæ in *tr. de jure Monet. Class. 3. q. 1. n. 96. & seqq.*

1358 Sequitur 11. Erroneam esse sententiam *DDrum* sustinentium: Débitorem, qui olim accepisset mutuos quingentos Imperiales in variis duris speciebus, hodie defungi restituendo quadringentos. Ratio est: quia talis debitor non restitueret tantundem materiæ seu argenti, uti examinanti patet, nec tantundem in valore extrinseco, saltem relato ad merces, cum solo valore extrinseco, saltem ob deteriorationem materiæ pecuniae minutioris, aucto, manente eadem pecuniae grossæ bonitate intrinsecâ, pretium mercium ita augeri soleat, ut

materiæ nummi proportionetur. Prout argumento à contrario sensu desumpto decidit Imp. in *L. 2. C. de veter. numismi. potest. Lib. 11.* ibi: *pro immunitione, quæ in aestimatione solidi fortè tractatur, omnium quoque pretia specierum decrescere oportet.* Et hinc cum hodie quadringentis Imperialibus tot merces comparari nequeant, quot olim quingentis, facile apparet tantundem in valore relato ad merces in hypothesi non restitui. *Idem Kitzel. loc. cit. n. 98. in f.*

Sequitur 12. Obligatum ad 1359 restituendos quingentos Imperiales in variis duris speciebus in substrata hypothesi satisfacere, si restitueret quemlibet Imperiale per 80. albos usuales temporis, quo contractus reperitur celebratus; Ratio est: quia 80. albi illius temporis æquivalent duro Imperiali, sive centum & aliquot albis moderni temporis, tam quo ad bonitatem intrinsecam (expensis in cwendos hos albos factis deductis) quam extrinsecam, seu valorem imposititum, etiam relatum ad merces,

Sequi-

1360 Sequitur 13. Quod manente eādem bonitate monetæ intrinsecā, bonitate autem extrinsecā tempore contractūs æquō majore, postmodum diminutā, debitor regulariter defungatur restituendo species diminutas, valori, qui erat eodem contractūs tempore, correspondentes. Laud. Kitzelius classe 2. q. 3. sect. 2. n. 17. & seqq. Rationem dat p. 20, ferè hanc, quia alias talis debitor plus restitueret, quam accepisset. v. g. Titius mutuum accepit unum Imperiale, qui in veritate physica & juxta bonitatem in. & extrinsecam justam non valet, nisi uno floreno Rhenano cum dimidio, ob minutam pecuniaē minurioris bonitatem intrinsecam tamen tempore contractūs valet tribus florenis, Titius si obligaretur restituere tres florenos, utique restitueret plus.

COROLLARIA

De mutuo.

1361 Primum: Mutuum esse contractūm bonæ fidei, quia nequidem de jure Romano est

contractus formularius, & licet ex illo usuræ non debeantur, nisi sint in stipulationem deductæ, inde tamen non infertur contractum esse stricti juris, nam hoc inde est, quia mutui contractus est negotium gratuitum. Boehm. in ir. de action. sect.

1. Cap. 3. §. 33.

2dum: Quod licet de jure 1362 Romano in mutuo usuræ non debeantur, nisi in stipulationem deductæ. per L. 3. C. de Usuris. (Ratio est: tum quia mutuum est contractus gratuitus, tum quia cum mutuum contrahatur re, plus repeti nequit, quam datum est) attamen de jure Germanico usuræ à tempore moræ debentur, & peti possunt. Prout dicitur in R. Deput. de anno 1600. s. 152. nec non in R. Imp. noviss. de anno 1654. §. 174.

3tium: Hodie tres esse pendatarum usurarum causas: Prima est mora... 2da est stipulatio... 3tia est paectum nudum. Ratio est: quia quando leges Germaniæ concesserunt jus pertendi usurpas ex mora, non prohibuerunt, usurpas in stipulationem deduci, & cum stipulatiōni

tioni hodie quoque æquivaleat nudum pactum, & hoc usuræ promitti possunt. *Grassis in Collat. scđt. 6. §. 1. fol. 288.*

1364 4rum: Usuræ hodie ex mutuo præstandæ appellantur interesse, ex lucro cessante & danno emergente confurgens, nec non ad quinque in singula centum determinatum. *per R. Imp. de anno 1600. loc. cit. præstandum quoque est à tempore moræ extrajudicialis.* Rationem dat *Gail. de arrest. Cap. 13. n. 3.* quia mora in citatis legibus Germaniae generaliter pro causa pendit interesse assignatur.

1365 5rum: Jure Leodiensium filiusf. mercator contra mutuum, in causam mercaturæ contractum, non juvatur Scto Macedoniano. *Carolus de Mean in jus Leod. obf. 65. n. 4.*

1366 6rum: Lege Marchiæ Brandenburgensis ex mutuo sex debentur, & exigi possunt. *Joachimus Scheplitz in consuet. Brandenb. p. 4. tit. 1.*

1367 7rum: Jure Agrippinensis locus est exceptioni Scti Macedoniani etiam in re mercantili. *Statut. Urbis Ubius Agripp. p. 1, art. 73.*

1368 8rum: In Electoratu Trevi renſi creditor, licet immisſus in perceptionem fructuum, non habet ulurus niſi quincances, suffragante pacto de retroven-dendo & anticresi, habet. *Statut. Trev. tit. 14. §. 2.*

§. 2.

De commodato.

Altera species contractum **1369** realium est commodatum, quod est contractus realis, quo certius usus rei in specie consistentis ad certum tempus alteri gratise a lege conceditur, ut eadem numero, non deteriorata, usu finito redatur. Ita ferè DDres ad h. §. 2. Unde

Deducitur 1. Commodatum **1370** non perfici, niſi rei interventu, & hinc promissionem de com-modando commodatum non esse. Ratio est: quia, cum commodatum sit contractus realis, pro forma exigit, ut res interveniat, jam autem contra-ctus absque sua forma perfectus non est. *Manz. h. n. 28.*

Deducitur 2 Contractu com-modati hoc tantum agi, ut usus rei

rei commodatae transferatur, non autem, ut dominium transfeat in commodatarium *Manz.* b. n. 17. Unde differet à mutuo, quo contracto dominium transferri supra docui. Ratio: quia contractus illum tantum effetur operatur, quem contra hentes intendunt, qualis in commodato est solus usus.

1372 Deducitur 3. Rerum fungibilium regulariter nullum esse commodatum, sed solarum rerum in specie consistentium. *Victoria* b. n. 3. Ratio: quia, cum rerum fungibilem usus constat in abitu, seu absumptione, haec non deteriorata restitui nequeunt, eo quod per usum absumantur.

1373 Deducitur 4. Commodatum usum esse gratuitum, per quod hic contractus differet à locatione conductione utpote in qua, *juxta inferius dicenda*, merces pro usu intervenit. *Manz.* n. 15. Ratio est: quia alteri commodare est eidem officium amicitiae praestare, cui merces repugnat.

1374 Deducitur 5. Ad commodatum requiri, ut usus certus sit, & tempus determinatum, per quod differet à precario, cuius natura est, ut, donec usus non

revocatur, habens rem precastum ejusdem usum continuare possit, cum contra commodarius lapsu temporis ad utendum praeiniti usu cadat.

Deducitur 6. Commodatum teneri ad eandem numero rem restituendam, neque defungi, si similem restituat, quod fecus est in mutuo, utpote in quo mutuarius restituendo tantundem liberatur. Ratio est: quia mutuarius rei mutuò datus dominium consequitur, quod in contractu commodati manet penes commodantem.

Deducitur 7. Commodatum obligari ad restituendam rem commodatam non deterioratam, & hinc si res culpâ ejus deteriorior facta fuerit, aut planè perierit, ipse tenebitur, cum autem haec de præstationibus culparum materia per omnes contractus vagetur, neque tam plana sit, consultum duxi eandem hic enucleare, pro quo sit

APPENDIX

De doli, culpæ, negligentiae & casus fortuiti præstationibus.

Præstare dolum, culpam, negligientiam, & calum fortuitum

M m 2 est

est teneri ad damnum; dolo; culpā, negligentia, aut casu fortuito datum reficiendum, & præstare diligentiam est teneri ad avertendum damnum hic & nunc emersurum; pro quo-
rum intellectu

Notandum 1. ex Coccejo
Vol. 1. Disp. curios. tr. 5. collat.
2. §. 4. homines non tantum de-
linquere, quando ex proposito,
& animo delinquendi agunt,
hoc est, quando intelligunt
contra legem & malè se agere,
in quibus circumstantiis actio-
neum malitiosam, & dolosam ap-
pellamus, verū etiam si non
intelligant, se contra legem
operari, si tamen id vi natura-
lis intellectus cognosci potuit,
quo casu actio culposa est. Ratio
stat in eo, quia ad istum finem
instructi sunt potentissimae animæ:
sc. intellectivæ & volitivæ. Ex
quo infert idem Coccejus §. 5.
quod de juris naturalis rigore
homo in civilibus ad exactissi-
mam quoque diligentiam tenea-
tur, quæ ab humano intellectu
proficiisci potest, prout videtur
colligi posse ex L. 21. C. Man-
dat. ibi: nec quidquam in eorum
(negotiorum alienorum) admi-

nistratione neglectum: ac decli-
natum culpa vacuum est.. Ratio
est: quia per naturam rei cog-
noscere potest, se ad exactissi-
mam diligentiam teneri, & hoc
supposito velle debet.

Notandum 2. Hunc juris na- 1379
turæ rigorem jus Civile favore
imbecillitatis humanæ tempera-
vit, atque regulam statuit: ut
quotiescumque ex natura negotii
alia species diligentia non est de-
finita, regulariter sufficiat me-
dia, hoc est: pro conditione
imbecillitatis humanæ, non
summa illa, quæ ab intellectu
humano profici sci posset, pro
ut exprimitur in L. 6 ff. de f. 7. &
facti ignor. ibi: nec supina ig-
norantia ferenda, nec scrupulosa
inquisitio facienda. Vid. Cocce-
jus loc. cit. §. 6 & 7.

Notandum 3. Quando ho- 1380
mo intelligit, se contra legem
operari, est in vero dolo, seu
vera malitia, ad quod requiri-
tur 1. ut consilium præcedat. L.
2. s. 2. ff. de vi bon. rapt. ibi: præ-
cedente consilio.... 2. Ut dam-
num directè intendatur. d. L. 2.
§. 2. in verbis: ut damnum det....
3. Ut consilium & pr' positum
nocendi sit evidens, L. 7. s. fin.
ff.

ff. de dolo malo. Secus ergo est de malitia præsumpta. Coccejus Vol. I. Disp. curios. tr. 4. Disp. 2. th. 16. pag. (m.) 100 in med.

1381 Notandum 4. Quod si non constet de animo & proposito nocendi, puta: quia probari non potest, & sic verus dolus, aut vera malitia non sit, constat tamen de consilio damnum (quod fortè evenire posset, aut non) negligentius, solidò, avertendi, eo caluera culpa est, licet sit malitia imperfecta, quæ describitur à laud. Coccejo loc. mox cit. th. 16. in pr. esse propositum negligendi, quo quis gerendo res alterius negligentius, quam proprias, fidem, quam alterata tate sequitur, laedit, prout deciditur in L 32. ff. deposit. Ratio est: quia, non tantum qui res suas alteri committit, ipso factò eligit industriam illius in propriis consuetam, verum etiam suscipiens tacite appromittit solidam in propriis diligentiam.

1382 Notandum 5. Exempla veræ culpe sic descriptæ passim occurunt in legibus 1 mò: in L. 24. §. 5 ff. solut. Matrim. ubi deciditur: constare maritum teneri, si magis in servos dotales

sæviat, quam in proprios. 2dò in L. 22. §. 3. ad Trebell. ubi lata culpa dicitur, si quis majore negligentia, ac erat in rebus propriis consueta, rem alterius distrahere neglexerit, 3tò: si Iulius emere patitur alium emere per gratiam. L. 8. §. fin. Mand.... 4tò: si per gratiam ematur res minus idonea. L. 7. §. 2. De administ & pericul. Tut.

Notandum 6. Culpam veram, 1383 aliam esse magnam, quando quis rebus alienis minorem adhibet diligentiam, quam rebus propriis, qui gravior culpa esse nequit, quam negligere res, in quibus nobis nihil juris competit. Arg. L. 21. C. Mand.... Aliam esse non magnam, seu minorem, quando sc. res communes minus curantur, quam propriæ, cum has gerendi jus habeamus. Arg. L. 25. §. 16 fam. herciscundæ. Coccejus loc. cit. pag. 102.

Notandum 7. Negligentia 1384 est qualitas quedam homini ali- cui naturalis consueta, quæ ipsi potius imputatur ad damnum, quod per eam contingit, resarcendum quam alii, nim. quia ho- mini est ordinaria & consueta in

rebus etiam propriis, non verò affectata, aut commissa in alienis tantum. *Coccejus cit. disp. 2. §. 17.*

1385 Notandum 8. Negligentiam hanc pariter duplēciē esse, alia magna, alia non magna seu minor. Illa sive magna est omissio ejus diligentiae, quam communiter homines quicunque adhibent in suis. Pro ut statuit *L. 223. in prff. de V.S.* v. g. Si quis ramo in publicum dejecto aliquem occidit, cum nemo nesciat per publicum iter fieri solere &c. *Coccejus loc. cit. fol. 103.* Hæc vel minor est omissio diligentiae, non quam quicunque, sed hic aut ille rebus suis adhibet, & cum talis diligentia duplex sit, alia exacta, alia exactissima, hinc negligentia minor duos habet gradus; unus est media, seu omissio diligentiae exacta, quam patres frugi communiter rebus suis adhibent v. g. si quis fenestras, etiam altiores, non clauerit &c. **2**dus est, minima, sive omissio diligentiae exactissima, quam aliis diligenter adhibuisset, v. g. quod paterf. fenestras periculosiores clathris non muniverit. *Coccejus loc. cit. fol. 105.*

Notandum 9. Per negligētiā, tanquam principalius exemplum hic intelligi omnia hominis vitia naturalia, in eosdem gradus distinguenda v. g. fātigiam, incuriam, socordiam, imprudentiam, rusticitatem, simplicitatem, ignorantiam &c. denique

1387 Notandum 10. Casum fortuitum esse id, quod accedit imprudentibus, sive quod quis nescivit eventurum, nec prævidit, nam si quis damnum prævidit & non avertit, casus non est. *Arg L. 52 §. 3. ff. pro socio.*

Sequitur 1. Faciendum esse **1388** discrimen inter culpam, & negligentiam, tum quia culpa vitiōsitatē, & propositum negligendi involvit cum contra negligentia duntaxat naturale vitium dicat, *juxta tradita Not. 7. tum quia culpa, & negligentia in L. 226. ff. de V.S.* nec non *L. 29. §. 4. ff. ad legem Jul. de adult. coerc. opponuntur.*

Sequitur 2. In rebus planè **1389** alienis magna negligentia veræ culpæ, sive conjunctæ cum animo negligendi & culpa vera dolo æquiparatur. *L. 223. de V.S.* licet etiam dolus solum aut tan-

tum

tum &c. diceretur præstari; intellige tamen, ubi aut ad damni restitutionem, aut ad pœnam ratione ejus, quanti alicujus interest, infligendam agitur, ut sit in L. Aquilia. L. 2. in pr. ff. ad L. aquil. Ratio est: quod per veram culpam ex proposito & verè magis negligantur res alienæ quam propriæ, & per magnam negligentiam magis intelligentur neglegi, nam magna negligentia omnibus abesse præsumitur, ergo etiam v.g. Titio, per consequens in hypothesi Titius intelligitur magis negligere aliena, quam propria, quæ omnia virtutatem important. *Vid. Coccejus Disp. 3. §. 2. & 3. pag. 113.*

1390 Dixi: *Comparationem veræ culpæ & magnitudo negligentiae cum dolo procedere in rebus planè alienis:* Nam in communibus fecus est, hoc est, in societate & aliis communionibus lata culpa, non dolo, sed in effectu levi culpæ æquiparatur. Ratio: quia ista duntaxat lata culpa dolo comparatur, quæ involvit negligendi propositum, vel verum, dum quis res proprias magis curat, quam alienas vel præsump-

tum, quando quis hoc negligit, quod omnes intelligunt, quale propositum in casu rerum communium non est, nam cum rebus communibus immixta sit res propria pro indivito, hinc socius habet causam gerendi propter partem suam, prout deciditur L. 25. §. 16. ff. fam. hercisc. quare naturale vitium dicitur negligere res communis. L. 2. C. quando & quibus quarta pars deb. in med. pr.

Sequitur 3. Falli nostros 1391 DDres ex mente saepius Laud. Cocceji tr. 4 prop. 1. pag. 61. tria tantum esse, de quibus in contractibus præstindis tractatur, dolum, culpam & casum fortuitum, quia juxta superius dicta præter hæc tria præstatur quoque diligentia, quæ culpæ opponitur, prout appetet ex L. 5. §. 2. in f. ff. commod.

Sequitur 4. Descriptiones 1392 culparum, à DDribus nostris communiter assignatas, esse periculosas, nam in mea via non tantum lata culpa est omissio minimæ diligentiae, verum etiam omissio exactæ, imò exactissimæ, videlicet, in casu ubi diligentissimus patet, minorem

rem rebus alienis diligentiam adhiberet, quam propriis.

1393 Sequitur 5. Principium & regulam à Dibris nostris communiter traditam: *Culpa in legibus simpliciter posita levem significat*; universaliter non tene-re, nam inductione facile demonstrari potest, etiam per culpam simpliciter positam omnes illos gradus culpæ significa-ri, quos requirit negotium, de quo tractatur. Alia omittendo exemplum est in L. 13. §. 1. ff. de pignorat. act. ubi culpa sim-pliciter dicitur præstanda tam in pignore, quam commodato, cum tamen in illo levem, in hac levissimam indigit. *Coccejus* tr. 4. propos. 12. per tot. pag. 70. & 71. Plura in sequentibus.

1394 Sequitur 6. Dicta sequelâ præcedente: *de culpa simpliciter po-sita*: applicanda sunt cum pro-portione ad diligentiam, nimirum, ut, quoties diligentia à legibus exigitur, illa intelligitur, quæ in quovis negotio requiritur. de quo statim

1395 Sequitur 7. Inter diligentiam & custodiam quo ad gradum non esse differentiam, adeoque quoties una ultra aliam à lege

requiritur, non est intelligentius aliis culpæ gradus, sed di-versum duntaxat objectum, quia diligentia pro objecto ha-bet rerum alienarum admini-strationem, custodia asserva-tionem,

Sequitur 8. Negligentiam, **1396** etiam minorem, homini impu-tari ad culpam, non simpliciter, sed comparatè, quia, cum uni damnum ferendum sit, ei potius imputatur, qui vitium, naturale etiam, commisit, quam domino, eo quod se rei alienæ immiscere, quam neglecturus est, culpa non yacet. *L. 36. de R. f.* Hæc sunt principia ex *Coccejus* delumpta, per quæ qui-dem nihil novi sed hoc solùm præstare intendo, ut planiora reddam incipientibus sententia-rum mearum fundamenta, ac *Coccejus*, contra Struyii deci-siones Sabbathinas arguendo, forte præstare voluit. Modo itaque sint sequentes regulæ, quid in singulis negotiis præstandum sit.

Regula 1ma: Dolus præsta-tur in omnibus negotiis. **1397** *L. 5. s. 2. ff. commodat.* Ratio est: quia, cum dolus complectatur nocen-di

di propositum, damnum dolo-
datum est reparandum, ne de-
licta maneat impunita.

1398 Regula 2. In omnibus nego-
tiis pariter præstatur vera culpa,
& magna negligentia, saltem si
in rebus planè alienis commit-
tantur. *L. 29. in pr. ff. mandat.*
Ubi dissoluta negligentia propè
dolum est. Ratio: quia hic juxta
superiùs dicta magna negligen-
tia veræ culpæ, & hæc dolo
æquiparatur.

1399 Regula 3. Vera culpa & mag-
na negligentia in rebus commu-
nibus itidem præstatur, at tan-
quam culpa levis. Ratio est:
quia in rebus communibus cul-
pa à dolo separatur, & seorsim
est præstanta, quemadmodum
deciditur in *L. 108 § 12. de legat.*
1. ubi fideicommissum resti-
tuens, *cohæres*, culpam à dolo
separatam præstat, quia causam
habet gerendi, & simul pro-
pria negligit; at non *cohæres*
dolum solum, sub quo vera cul-
pa & magna negligentia conti-
nentur. *De quibus plura infra*
de Societ.

1400 Regula 4. Negligentia, tan-
quam vitium naturale, magis
regulariter imputatur illi, qui

damnum dedit, quam domino
rei, nim. si damnificans sit ne-
gotii auctor v. g. 1. si negotio
se obtulit. *L. 1. § 35. ff. deposit.*...
2. si operam vel peritiam profi-
tetur. *L. 9. §. 5. ff. locat.* 3. si
eius vertatur utilitas. *L. 5. §. 2.*
m f. ff. commod. Ratio horum
est: quia 1mo & 2do casu dam-
nificatus fidem sequitur damnifi-
cantis, 3tio casu autem damni-
ficatus præstat officium suum
gratias, quod non debet ipsi esse
damnosum. *Coccejus tr. 4. Disp.*
3. th 18.

Regula 5. Quod si autem *1401*
damnificatus auctor sit negotii,
v. g. 1. quod ejus vertatur uti-
litas. *L. 5. §. 2. ff. commod.*...
2. quoties per damnificatum
mera exercetur liberalitas, ut
in precario. *L. 8. §. 3. ff. de pre-*
cario.... 3 si elegerit personam
naturæ socordem, & minus
idoneam. *§. fin. Inst. de Societ.*
negligentia damnificantis nocet
damnificado. Ratio est: quia
in 1mo casu damnificans offi-
cium præstat; in 2do ex umerat
amicitia; in 3tio autem impu-
tatur damnificado, quod dili-
gentiorem non elegerit.

Regula 6. Posito utrumque *1402*
Nn esse

esse negotij auctorem, puta: quia utriusque utilitas vertitur, mediâ viâ est incedendum, ut utrique aliquid imputetur, domino rei, aut negotii, seu danti, ne is damnum sentiat ex negligentia media; eo quod ipse solus auctor non sit; accipienti vero, ne illi noceat negligentia minima, cum dans simul sit negotii auctor.

1403 Regula 7. Ratio imbecillitatis humanæ (ob quam est, quod homo hodie non teneatur ad exactissimam diligentiam, sed medium tantum, nim casu quo certus culpæ gradus non est definitus) cessat 1. in casu ubi illi tacitè est renuntiatum, v.g. quod quis negotium ultrò suscepit, artem vel operam profiteatur, aut alterius negotium gerat, quod prudentiam, aut peritiam requirat &c. quod in mandato per L. 13. C. de Mand. in negotiorum gestione per L. 24. C. de usur. nec non in opificibus. per L. 9. s. pen. ff. locat. infra exemplificabo, hisce enim casibus tacitè est renuntiatum humanæ imbecillitati. Ratio exprimitur in L. 8. s. 1. ff. ad legem Aquil. eo quod affectare quisque non de-

beat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem suam alii periculosam futuram.

2dò: Cessat ratio imbecillita-**1404** tis humanæ, ut quis teneatur ad exactissimam diligentiam, quando negotium solus accipientis respicit utilitatem, uti in commodato. per L. 5. §. 2. ff. *commod.* Ratio est, quod iniquum sit beneficium imbecillitatis humanæ illi concedi, cuius omnis est utilitas, in præjudicium alterius, qui tantum beneficium præstare voleit. ex quo

Concludo: Commodatarium **1405** regulariter non habere hoc imbecillitatis humanæ privilegium, sed is ad exactissimam diligentiam tenetur. Ratio est: quod cum regulariter ejus solus vertatur utilitas, ipse solus habetur pro negotii auctore.

Exceptiones sunt 1. ut com-**1406** modarius de dolo, culpa vera, & magna negligentia tantum teneatur, si commodans suâ tantum gratiâ contraxit.... 2. si se obtulit ad commodandum.... 3. ut si utriusque gratiâ contractus sit initus, duntaxat negligentiam medium præstet. Ra-
tio:

tio: quia duobus imis casibus
commodans est negotii auctor,
at ultimo uterque, & hinc sub-
intrant regulæ 5ta & 6ta.

2407 Regula 8. *Casum, nisi in*
culpam cadat, nemo præstat:
Sicuti in aliis negotiis, ita pari-
ter in commodato procedit.
Ratio est: quia res, absque cul-
pa alterius periens, perit suo
domino.

COROLLARIA

De commodato.

2408 I^mum: Commodatarius ex-
orto casu fatali res proprias pre-
tiosiores commodatis vilioribus
ad istum effectum pra ferre po-
test, ut damnum rebus commo-
datis illatum reficiat. I^ga deci-
dente L. 5. s. 4 ff. *commod. in-*
distincte loquente. Ant. Faber
in rational. Rationem dat Cocce-
jus in jure cont. b. t. q. 9 Quia
commodatarius res proprias
servando ea mente, ne damnum
commodanti reficiat, non ex-
hibet summam fidem & diligen-
tiam, contra L. 18. pr. b. t.
adeoque culpa aliqua intervenit
d. s. 4. Deinde concensus rerum

proprietarum etiam in Adriorum
sententia *simpliciter* non alterat
naturam *commodati*, sed tan-
tum, quatenus concurrunt pre-
tiosiores, adeoque quatenus
pretiosiores non sunt, commo-
datarius *commodanti* tenebitur.

2dum: DDres, qui susti
nent, *commodarium posse*
res proprias pretiosiores præfer-
re *commodatis*, minus pretio-
sis, intelligendi sunt, non ad
istum effectum, ut *commoda-*
tarus res servatas sibi soli possit
retinere, sed tantum, ut, qua-
tenus res servatae pretiosiores
*non sunt *commodatis*, commo-*
danti, inde facti fiat, & hinc mea
sententia quoque de praxi pro-
cedit. Coccejus ad jus controv.
loc. cit.

3tum: *Commodarium,* 2410
qui rebus propriis neglectis, res
commodatas servavit, non posse
a *commodante* quidquam repe-
tere prodamno perpesto. Ratio
est: quia ob exactissimam dili-
gentiam tenebatur res alienas
præferre. *Nec dici potest*, quod
res propriæ in hypothesi quasi
expensæ sint necessariæ, in res
servatas factæ, etenim de ex-
penſarum necessariarum ratio-

ne est, ut directè rem conservent, quod hic verificari nequit.

4111 4tum: Quod si res commodata nuntii ferentis, à commodante ad transportandum missi, culpâ perierit, damnum est commodantis. *L. 10. s. 1. ff. b. t.* Brunn. *ibid.* Ratio est: quia nequidem medium negligentiam committitis, qui rem credit ei, cuius fidem ipse dominus elegit.

4112 Dixi: *Si commodans nuntium miserit ad rem commodatam transportandam: Unde econtra-*rio tenetur commodatus **1mò:** Si commodans nuntium tantum misisset ad commonendum, non autem ad rem recipiendam. *Brunnem. ad L. 10. cit.* quia eo casu non commodans, sed commodatus fidem talis elegit, quem exactissimus paterf. non elegisset; tenetur porrò commodatus regulariter **2dò:** si ipse nuntio electo rem perferendam commiserit, & commodatum solius commodatarii causâ sit contractum. *L. 10. s. 1. ff. commod.* Ratio est: quia commodatus negligenter est imputandum, quod diligenter non elegerit,

Dixi: *Regulariter: etenim* **1413** si commodatus elegisset hominem notoriè fidelem, cui quoque commodans rem credidisset; damnum pertineret ad commodantem, maximè, si præter culpam per malorum hominum interceptiones res periisset. Prout exprimitur in *L. 20. ff. commod.* & firmat. *Ant. Faber ad d. L. 20. ex ratio-*ne, quia id etiam diligentissimus paterfamilias fecisset, cum non crederetur id futurum.

§. 3.

De deposito.

Tertia species contractum **1414** realium depositum est *contra-*ctus *realis*, quo res alteri *gratis* custodienda traditur, ut eadem in specie pro lubitu deponentis restituatur. *Vitria b. n. 1.*

Unde Patet 1mò: Depositum **1415** in hoc cum mutuo & commodato cōvenire, quod sicuti hi duo contractus non aliter quam rei interventu perficiuntur, ita nec depositum.

Patet 2. Quod conventio de **1416** realia deponenda depositum non

non sit, & hinc licet res perie-
rit, aut corrupta sit, alter pa-
cifcentium tamen non teneatur.
Ratio est: quia in contractibus
realibus hoc praeceps agitur, ne
quis aliter, quam re accepta
obligetur. *Manz. b. s. n. 2.*

1417 Patet 3. Rem quoque alienam
deponi posse *L. 31. ff. deposit.*
per quod modò depositum dif-
fert à mutuo, cum non nisi res
propria mutuò dari valeat. Ra-
tio: quia mutui finis est dominii
translatio, qui in re aliena ob-
tineri nequit, at verò finis de-
positi est custodia, quæ quoque
rei alienæ impendi potest.

1418 Patet 4. Rem non tantum in
specie consistentem, verùm
etiam fungibilem deponi posse.
Ratio est: quia res etiam fungi-
biles custodiam recipiunt. Ubi
tamen notandum est 1. quod re
fungibili; eā lege deposita, ut
eadem in specie restituatur. v.g.
si nummi, in quos ob antiqui-
tatem, memoriam, aut boni-
tatem cadit affectio. sit regulare
depositum. *Lauterb. ad ff. b. t.*
§. 2. & 3. quod si autem depo-
sita sit res fungibilis, ut deposi-
tarious eā uti, & illam in genere
possit restituere, est deposi-

tum irregularē. *Lauterb. loc.*
cit.

Notandum est 2. Res fungi
bilis utenda concedi potest vel
tacitè, nim. si pecunia numera-
ta, & non obsignata deposita
sit simpliciter. *Mant. de tacit.*
& ambig. convent. Lib. 10. tit. 3.
n. 12.... vel expreſſe, quando
deponens usum ab initio expreſſe
concessit, aut quando ex post
depositarius mutuum rogavit.
Lauterb. loc. cit.

Notandum est 3. Priori casu,
quo pecunia non obsignata est
deposita, & altero casu, quo
usum pecuniæ ab initio depo-
nens concessit, manet deposi-
tum, & dominium non transit
in depositarium, nisi à tempore,
quo iseādem usus est. *L. 10. ff.*
de reb. cred... at verò si deposi-
tarious ex post usum illius pecu-
niæ rogaverit, statim converti-
tur in mutuum, & dominium
transit in depositarium. *L. 9. §. 9.*
ff. de reb. cred. ibique Brunnen.
post varios allegatos.

Patet 5. Depositum debere
esse gratuitum, nam cum depo-
sitem involvat amicitiæ præsta-
tionem, merces, qualem ami-
citia respuit, intervenire nequit.

Unde consequitur 1. quod, si merces promissa sit pro custodia, non sit depositum, sed locatio conductio. Consequitur 2. quod in hoc differat depositum à locatione conductione. Consequitur 3. quod, quia in deposito solus deponens regulariter dedit causam negotio, mitius quandoque agatur cum depositario in præstatione culpæ, ac cum eo, qui pro custodia mercedem accepit; prout in Corollariis de præstationibus culpæ, & negligentiae in deposito dicam.

¹⁴²² Patet 6. Finem contractus depositi esse solam custodiā, per quod differit à mutuo, ut pote in quo dominium transit, nec non à commodato, quo usus gratuitus duntaxat conceditur, & denique à pignore, quo sola securitas creditorī præstatetur.

¹⁴²³ Patet 7. Rem depositam eandem in sp̄cie, non deterioratam, restituendam esse. Ratio est: quod, cum finis depositi sit sola custodia, deponens hunc ipsum non obtineret, si aut alia res, aut deteriorata ipsi posset obtrudi.

Patet 8. Depositum pro libi ¹⁴²⁴ tu deponentis revocari posse. Ratio est: quia, cum depositum regulariter solus deponentis gratiā contrahatur, locus est regula: *Quilibet beneficio sibi præstanto renuntiare potest.*

COROLLARIA

De deposito.

Primum: Quisunque ¹⁴²⁵ positarius præstat dolum, hoc est: tenetur ad damnum, dolo datum, reparandum. Ratio est: quia dolus in omni contraetu præstatetur. Arg. L. 5. s. 2. ff. *commod.* per consequens, cum depositum sit contractus, etiam in hoc dolus est præstandus.

Secundum: In deposito q̄ oque ¹⁴²⁶ præstatetur culpa (quam DDres talem in concreto appellant) prout probatur per L. 32 ff. *depositi*, ubi statuitur, quod, si quis ad suum modum non sit diligens in rebus alienis, puta: depositis, aut si quis minorem rebus depositis adhibeat diligentiam, quam suis, fraude non careat. Ratio est: quia juxta superius dicta culpa propositum negli-

negligendi involvit, quo fides, quam alter contrahentium tacitè sequitur, laeditur. *Coccejus tr. 4. Disp. 2. th. 16.*

¹⁴²⁷ **3tum:** Depositarius præterea tenetur de magna negligentia, quam DDres culpam in abstracto, & latam vocant, uti probatur per L. 226. ff. de V.S. ubi *magna negligentia* dicitur *culpa*, & *culpa est dolus*. **Ratio:** quia depositarius omittendo illam diligentiam, quam homines quicunque communiter adhibent in rebus suis, præsumitur minorem rebus depositis diligentiam adhibuisse, quam propriis, eo quod talis diligentia utique præsumatur aedesse.

¹⁴²⁸ **4tum:** Depositarius regulariter non tenetur de negligentia media, nec de minima. *Arg. L. 5. s. 2 ff. commod.* Ratio est: quod, cum deponens communiter sit auctor negotii, quia ejus solius vertitur utilitas, deponentis facilitati imputetur, quod personam non satis idoneam elegerit, cuius vitio naturali damnum dari posse scivit, & hoc vi- tium per consequens magis imputatur auctori negotii, quam alteri,

Dixi: **Regulariter:** Nam tal. ¹⁴²⁹ lit hoc **4tum Corollarium**, ubi cuncte aut *deponens* *solus* auctor depositi non est, hoc est. si ejus solius utilitas non vertatur, sed simul depositarii, puta: si merces interveniat, aut ubi *depositarius* *solus auctor* est depo- siti, nempe si se illi obtulerit, iis enim casibus non quodcunque vitium naturale deponenti imputatur, & per consequens depositarius à cujuscunque ne- gligentiae præstatione *immunis* non est. Unde consurgit *Corol- larium*.

5tum: Depositarius tenetur ¹⁴³⁰ de negligentia minima, quam vocant culpam levissimam, quoties se deposito obtulit. *L. 1. §. 35 ff. depositi.* nec non si custodiā profiteatur, eamque lo- care soleat. *L. 40. ff. locat. Arg. L. 9. §. 5. eod.* Ratio est: quia his casibus *depositarius* *solus* ha- beturi *pro auctore negotii*, eo quod deponentem ad deponen- dum provocet, & sic tacitè ex- actissimam diligentiam appro- mittat. Simile occurret *infra de locat. cond.* in attifice per L. *40. ff. locat.*

6tum: Depositarius dunta ¹⁴³¹ xat

xat tenetur de negligentia media , quam culpam levem dicunt, quoties de mercede præ custodia , aliás locari non solita, danda conventum est. Arg. L. 5. s. 2. ff. *commod.* Ratio , quia, cum hoc casu utriusque vertatur utilitas, & uterque sit negotii auctor , adeoque utriusque aliquid imputetur , media via est eligenda , ex quo consurgit obligatio ad medium diligentiam.

²⁴³² 7mum : Depositarius , qui in propriis rebus consuevit adhibere exactissimam diligentiam , tenetur de negligentia minima circa res depositas admissa. L 32. ff. *deposit.* quemadmodum medium negligentiam tantum præstat , casu quo propriis non nisi medium diligentiam impendere solebat. Arg. cit. L. 32. ff. *deposit.* Ratio est: quia hisce in casibus depositarius est in vera culpa, quæ, cum dolo æquiparetur, in omnibus contraetibus est præstanda.

²⁴³³ 8vum: Depositarium, quan- dores proprias, sive pretiosiores rebus depositis, sive æqua- les fortuito casui eripiendo, alienis prætulit teneri deponenti,

Ratio: quia eo casu in vera cul- pa est, cum contra L 32. ff. *de- positi.* minorem depositis præ- stet diligentiam , quod simpli- citer loquendo fraude non caret. Prout quidem in materia com- modati deducit *acutissimus Anton.* Faber *Senatus Sabaudici olim Praeses in L. 5. s. 4. ff. com- mod.* atque attestatur idem juris esse in deposito per d. L. 32. ff. *depos.* & statuit in hypothesi rebus alienis eo ipso præstan- dam esse diligentiam majorem, cum & his & propriis non possit præstari par , ne aliás alienis præstaretur minor. Quod aliqui confirmant ex oraculo Pon- tificis in cap. 2. & de deposito. ibi: bona fides abesse presumitur. si rebus tuis salvis existentibus depo- sitas amisisti.

§ 4.

De pignore.

Quarta species contractuum ²⁴³⁴ realium est pignus, seu contraetus pignoris , qui describitur, quod sit *contractus realis*, quo r̄es à debitore creditori in securi- tatem debiti eā lege trāditur , ut eadem,

eadem, soluto debito, in specie restituatur. s. f. b. Lauterb. ad ff. de pignorat. act. §. 1.

1435 *Unde consequitur 1. contra-
ctum hunc non aliter perfici,
quam rei traditione, cum sit
realis, atque per hoc differat à
contraetibus verbalibus, litera-
ralibus, & consensualibus.*

1436 *Consequitur 2. ex contraetu
pignoris nasci jus in re, nam,
cum pignoris contractus non ali-
ter perficiatur, quam rei, in
securitatem crediti datæ, inter-
ventu, jus oritur, quo credi-
tor redditur securus de reci-
piendo debito, hoc autem est
jus in re. Vitriar. b. n. 3.*

1437 *Consequitur 3. res omnes,
regulariter quæ sunt in com-
mercio, mo. & immobiles, ex-
æquitate etiam incorporales, imò
etiam alienas (saltem ut inter ip-
pos contractantes obligatio oria-
tur) pignori dari posse. Vid.
Lauterb. ad ff. de pignorat. act.
§. 4. ubi hoc textibus probat.
Ratio est: quia hæ res omnes
creditori in securitatem crediti,
aut propriè, aut impropriè,
aut quasi tradi possunt, adeo-
que aptæ sunt, ut contraetui
pignoris, qui rei interventum*

*pro forma exigit, interve-
niant.*

Dixi: *Rem alienam pignori
dari posse, saltem ut inter ipsos
contractantes oriatur pignoris ob-
ligatio: Nam in re aliena op-
pignorata creditorij jus in re non
quæritur. Ratio est: quia cum
hoc casu pignus constituens do-
minium rei non habeat, non
potest etiam *jus in re* constitue-
re, utpote quod duntaxat à do-
mino constitui potest. L. 6. C. si
alien. res pignor. dat. Lauterb.
loc. cit*

Consequitur 4. Finem con- 1439
tractus pignoris esse præstatio-
nem securitatis, creditori fa-
ciendam, pro credito; per
quod 1st: differat à mutuo, ut-
pote quo rei mutuatae domi-
nium transit. 2nd: à commo-
dato, quo solus usus gratuitus
transfertur & 3rd: à deposito,
quod rem soli depositarii custo-
diæ credit. Ratio horum om-
nium stat in cujusque contractus
indole.

Consequitur 5. Quod, cum 1440
de natura contractus pignoris
sit, ut res creditorij tradatur,
ille differat quoque à pacto, quo
hypotheca constituitur, nam

Oo de

de natura hypothecæ non est traditio ejusdem, creditori facienda, sed tantum ut eidem *jus in re* constituatur, relictâ possessione debitori. *Vitria h.* n. 12.

1441 Consequitur 6. Necesarium esse, ut debiti solutio vel alia satisfactio præcedat, antequam debitor pignus datum à creditore repetere possit, sive actionem pignoratitiam intentare valeat. Ratio est: quia pignoris contractus pro obtainenda crediti securitate à creditore initur, ergo hæc illi ante crediti solutio nem, aut aliam satisfactionem auferri nequit.

1442 Consequitur 7. Eandem rem, pignori datam, in specie esse restituendam, neque debitorem defungi, si aliam rem restitueret. *s. fin. h.* Ratio: quia hæc est pignoris contractus natura, ne alias debitor invitus dominio rei suæ, utpote quod per hunc contractum non transfert, cadat, quod partes non videntur egisse.

1443 Consequitur 8. Creditorem teneri regulariter ad rem pignori datam, non deterioratam, restituendam. Unde si dolo,

aut saltē creditoris culpâ res oppignorata deterior facta fuerit, creditor ad damnum reparandum est obligatus. *s. fin. h.* nec non *L. 13. §. 1. ff. de pignorat. act.* Ratio est: tum quia his casibus creditor aut habet nocendi, aut negligendi propositum, vel *verum* vel *presumptum*, tum quia simul est auctor negotii, per consequens aliquod saltē vitium naturale eidem imputatur.

COROLLARIA

De pignore.

Primum: Quisunque creditor pignoratius, sive conventionalis, sive judicialis tenetur de dolo, vera culpa, & magna negligentia. *L. 13. §. 1. ff. de pignorat. act.* nec non *arg. L. 226. ff. de V. S.* Ratio est: quia juxta sapientius dicta dolus in omni contractu præstatur, & cum vera culpa æquiparetur dolo, & magna negligentia assimiletur culpe, hinc est quod præter dolum, & culpam magna negligentia sit præstanta.

Secondum: Creditor pignora-
titius,

tius conventionalis insuper tii, ita media negligentia ipsi præstat negligentiam medium.

L. 14. ff. de pignorat. aet. ubi statuitur, ea exigi à creditore, quæ diligens paterf. præstare solet. Ratio est: quia uterque & debitor & creditor est auctor negotii, adeoque debitori non nocet creditoris negligentia media, neque creditori negligentia propria minima. Neque obstat: quod in *L. 13. §. 1. ff. de pign. aet.* in pignore dicatur præstanta culpa, ut in commodato, imo & custodia. Nam comparatio est inadæquata, & nomine custodia venit media.

1446 Dixi: Creditorem conventionalem teneri de media negligentia: Nam non nisi de dolo, vera culpa, & magna negligentia tenetur creditor in possessionem pignoris judicis auctoritate missus. *L. Prætor ait: 9 §. 5. ff. de reb. aet. jud. poss.* Rationem dat *Ant. Faber in Ration. ad L. 13. §. 1. ff. de pignorat. aet.* quia non ex voluntate, sed juris necessitate pignus tale contrahit creditor, ut solutionem à debitore consequatur: ex quo proinde fluit: quod sicuti hoc casu creditor non censemur auctor nego-

3tum: Pignus est contractus *1447* accessorius, adeoque præsupponit antecedens debitum. Ratio: quia accessorum absque principali regulariter non subsistit; quia autem debitum naturale quoque ad hunc effectum est debitum, hinc pignus eidem rectè adjicitur, nam effectus *naturalis debiti* iste est, ut accessiones valeant. *Coccejus in jure cont. de pign. aet. q. 1.*

4tum: Quod licet pignus in *1448* specie non aliter constituantur, quam rei traditione, cum sit contractus realis; attamen hypotheca quoque nudo pacto constitui potest. *Laud. Coccejus, loc. cit. q. 3.* inde consequitur: quod etiam in hypotheca per nudum pactum constituta, ut ut non tradita, creditori queratur *jus in re*, quod is actione reali nim. hypothecariâ contra quemcunque persequi potest.

5tum: Creditor, qui habet *1449* pignoris restituendi facultatem, illud in specie restituere tenetur, neque liberatur interesse præstando. *Mull. ad Struv. Exercit. 19. th. 28. lit. B.* Ratio;

quia pignoris constitutio creditori plus juris non tribuit, quam securitatem pro credito, quæ præstanta deinceps non est debito soluto, & hinc est, quod res in natura sit restituenda.

1450 6tum: Creditor, qui ignoto nuntio, (cum is exprimeret pignoris qualitatem, debiti quantitatem, domini pignoris nomen, & diem, quo pignus datum fuit) pignus debitori restituendum dedit, si nuncius à debitore missus non fuerit, neque pignus debitori restituerit, tenetur. *Mull. ad Struv. loc. cit. Lit. D. Casu 4.* Ratio est: quia culpæ creditoris imputatur, quod circa restitutionem pignoris diligenter non fuerit versatus.

1451 7tum: In Electoratu Coloniensi hypotheca judicio non insinuata nulla est, præferentiam nullam habens. *Ordinat. Elect. Colon. tit. 13. §. 1.* Licet quoque esset tacita legalis. *Ordin. §. 2.*

1452 8vum: Hypotheca Trevirensis ut habeat præferentiam oportet, ut sit judicialis. *Statut. Trevir. tit. 13. §. 2.* ita tamen, ut extrajudiciales præfrendæ sint chyographiis. *Statut. §. 22, 23, 24.*

Ubi notamus: Mulierem ratione dotis illatæ, & hypothecas tacitas legales judicialibus æquiparari, & juxta prioritatem temporis esse classificandas, licet mulier tacitis, tempore etiam anterioribus, sit potior. *Statut. Trevir. tit. 13. §. 14, 18. 19, 20.*

9num: Hypotheca generalis jure Electoratu Coloniensis non afficit mobilia, nisi per judicem præcluta. *Statut. Elect. Colon. tit. 13. §. 4.*

10mum: In ducatibus Julia & Montium creditor hypothecam defractuare potest, ut in defalcationem sortis imputare teneatur. *Statut. Julian. cap. 103.*

11mum: Hypotheca in principatu Leodiensi non constituitur solâ conventione, sed coram magistratu bonorum sitorum solenni obligatione. *Carolus de Meaninus Leod. obs. 146. n. 6.*

12mum: Tabula pecuaria (*die Viehe* *Eafil vulgo*) in urbe Agrippinensi, quo ad carnes extantes, pistoribus & braxatoribus in concursu creditorum præfertur, de reliquo cum iisdem jure taciti pignoris in eadem classe concurrit, *Conclus. Senat.*

Senat. de 22. Junii ex anno
1616.

1459 13tium: Accisia, ante illationem & invectionem mobilium in prædium conductum debita, in Urbe præ locagio habet præterentiam. Conclusum Senatus de 6. Junii ex A. 1644.

TITULUS XVI.

1460 Altera species contraactuum est verbalis, seu stipulatio, quæ ut putat Vitria. h. n. 1. est contractus verbalis, qui præcedente interrogatione, & congrua in continentis subsequenti responsione perficitur. Seu, ut describit Franz h. n. 2. est contractus constans verbis solemniter conceptis, quibus præseus præsenti interroganti, se præstiturum id, quod interrogatus est, congrue & continuo respondet. ex quo

1461 Sequitur 1. Ad formam stipulationis necessaria esse verba ore prolatæ, quia in hoc stipulatio differt à contractibus realibus, literalibus, & consensualibus. Unde conficitur: quod qui loqui, aut audire nequeunt,

quoque stipulari non possint.
L. 1. ff. b. t.

Sequitur 2. Requiri verba 1462 solennia, & olim quidem per verbum: spondes: respondendum erat per verbum: spondeo &c. at hodie tanta verborum solennitas non est necessaria, sed sufficit, verba esse ore prolatæ, congrua ad interrogacionem, & inter praesentes §. 12. in pr. Inst. de iuri. stip.

Sequitur 3. Responsionem 1463 debere esse congruam, quod contingit 1mō: ratione quantitatis, puta: si eadem quantitas, quæ expressa est in interrogacione, repetatur in responsione. v. g. an dare promittis 10? promitto. etenim diversitas in quantitate, vitiat stipulationem, saltem quo ad summam excedentem.

2dō: congrua est responsio 1464 ratione qualitatis, si nempe responsio non contineat qualitatem aliam, quam quæ erat in interrogatione. v. g. spondes me mihi hodie dare 10? spondeo: Nam si ita dictum foret: spondeo post decendum: tota stipulatio propter diversitatem in qualitate viarietur.

1465 3tiò: congrua est responsio ratione rei in stipulationem deducere, sc. si eadem res, quam quis sibi stipularus est dari, promissa fuerit; E. G. *dabisne mihi Bucephalum*; *dabo*; cum diversitas ratione rei denuò stipulationem vitiet. Unde non tenet hæc stipulatio; *dabisne mihi Stichum*, *dabo Pamphilum*.

1466 Sequitur 4. Quod si interrogacionem ex intervallo sequatur responsio, puta: si actus aliquis extraneus interveniat, aut intervallum temporis intercurrat, inutilis sit stipulatio. Ratio: quia quæ ad formam actus requiruntur, non possunt dividi intervallis temporum, neque locorum. *Vitri, b. vers. Tandem &c.*

1467 Sequitur 5. Quod, cum dicatur in descriptione: *se præsteturum id*: materia stipulationis sint tam res, quam facta, & hinc stipulatio, cui res intervenit, est dandi v. g. *promittisne mihi dare 105.?* *dabo*; cui autem factum, inest, nempe: *spondesne mihi fossam fodere?* *spondeo*: est faciendt: Ratio est: quia regulariter omnes præstationes promitti possunt. Ex quibus juxta aliquos

Sequitur 6. Promittentem **1468** factum corporale seu mechanicum, ad præstationem in natura non teneri, saltem de jure Romano; sed interesse præstando defungi. per L. 72. in pr. b. t. ex ratione quia ad tale factum nemo sine lesione libertatis cogi potest, & per consequens non debet; at Franz. b. n. 45. sustinet contrariam, textum L. 72, in casu moræ per promittentem commissæ, intelligendo, & rationem per adversarios adducet negando, quam sententiam juxta inferius dicenda puto praxi esse conformem.

Sequitur 7. Quod, qui pro. **1469** misit factum civile, vel prægnans, v. g. *fundum tradere*, cogi possit ad factum in natura præstandum, sc. si promissor rem promissam habeat. L. 75. §. fin. ff. b. t. Ratio est: quia creditoris interesse potest, rem in natura habere. Dixi: *si promissor rem habeat*: Nam si rei tradendæ facultatem non habeat, interesse præstando defungitur, quia ad traditionem impossibilēm obligati nequit.

* * *

COL.

COROLLARIA

De stipulationibus.

qualitas verborum. Ratio est: quia hodie non tam ex verborum figura, quam ex mente obligationem inducimus.

^{3tium : Promittens : alium} ¹⁴⁷²

daturum: non obligatur. §. 3.

Inst. de inutil. stipul. cum propriarum tantum, non alienarum actionum habeamus dominium..... ^{1mō}, promittens: securaturum, ut alius det: non tenetur ad plus, quam ad adhibendam diligentiam. *Struv. Exerc. cit. §. 7. ibique Mull. Lit. G....* Licer de moribus & his casibus obligationem induci, putet *Voet. ad ff. h. t. num. 5.* at si promiserit, se effecturum, ut terius det, obligabitur. Ratio est: quia eo casu proprium factum promisit, & has sententias quoque de jure hodierno obtinere docet *Strick. in u. m. h. t. § 2.*

^{4tum: Probabilius est, ho-} ¹⁴⁷³
die de praxi variorum locorum obligatum ad factum corporale non defungi praestando interesse, sed teneri ad promissum in natura praestandum. *Christ. vol. I. decis. 323. § ibi allegati.* Ratio est: quia conservatio libertatis, ob quam de jure Ro-

mano

¹⁴⁷⁰ **I**mum: Docente Mevio *decis. 241. n. 10. part. 2.* hodie cessat stipulationum solemnitas, & hinc consensus quoquo modo declaratus, etiam per nudum pactum, obligationem inducit. Ratio est: quod, cum fides sit servanda, de verborum solemnitate, quam illa data sit, parum curandum sit.... ex quo porro conficitur: surdum, ad motum labiorum intelligentem, casu, quo is per signa exprimeret consensum, nec non mutum nutu recte stipulationem contrahere. *Strick. in tr. de jure sensuum Diff. 4. Cap. 3. num. 19.*

¹⁴⁷¹ **S**edum: Pugna est inter DDres: an, quando promittitur impersonaliter: v. g. *tabi ne mili mille? dabuntur: subsistat stipulatio?* Ego sentio cum Mullero ad *Struv. Exercit. 47. §. 5. Lit. D.* questionem magis facti esse, quam juris, ita ut in ea potius mens contrahentium, ex circumstantiis colligenda, attendi mereatur, quam

mano aliud obtinebat, fidei datæ prævalere apud nos non potest.

TITULUS XVII.

De duobus reis stipulandi & promittendi.

¹⁴⁷⁴ Non tantum unus stipulari, & promittere potest, verum etiam duo, & plures; unde duo rei sive correi stipulandi sunt *plures personæ*, quæ simul eandem rem ex eadem causa in solidum stipulantur. pr. Inst. h. c. v. g. si pluribus interrogantibus promissor respondeat: *spondeo:....* Duo rei, vel correi promittendi sunt *plures personæ*, quæ simul eandem rem ex eadem causa singulæ in solidum promittunt. v. g. si unius interrogationi ad plures directæ singuli respondeant *singillatim: spondeo;* aut *spondemus.* Vitriar. h. n. 1. de quibus sint sequentes Regulæ.

¹⁴⁷⁵ Regula 1. Ex correali obligatione & stipulatione singulis solidum debetur, & promittentes singulis in solidum tenentur. s. 1. Inst. h. t. Ratio est: quia casu quo unus stipulatum alterum in consortium in-

terrogationis admisit, hoc tacite inter eos convenisse intelligitur de jure, ut utrique solidum quereretur; idem cum proportione dic de correis promittendi.

Regula 2. Obligatio correalis hanc habet in dolem, ut præventioni locus detur, adeo, ut si unius solidum solutum sit, alius ad solvendum agere nequeat. Manz. h. n. 28. Ratio est: tum quia solutione ejus, quod debetur, solvit omnis obligatio, tum quia æquitas non patitur, ut idem bis solvatur.

Regula 3. Solutio per unum ¹⁴⁷⁷ correum debendi in solidum facta proficit alteri, eumque ita liberat, ut ab eodem nequidem rata exigiri possit. Manz. h. n. 29. Ratio est: quia quotiescumque obligatio solidâ est extinctâ, plus peti nequit, jam autem solutione ab uno in solidum factâ, obligatio tota est dissoluta.

Regula 4. Solutione per ¹⁴⁷⁸ unum correorum in solidum factâ datur contra alterum, saltem de æquitate, regressus pro parte dimidia. L. 2. C. de duob. reis stipul. ibique Brunnen. Ratio est: quia licet summo jure pro-

proprium debitum solverit, prout *Strick.* in *u. m. b. t.* §. 3. tenet, neque inter hos debendi correos quidquam actum sit, at tamen solidum solventi saltem concedenda est ex æquitate conditio, prout putat *Vitria. b. num. 8. in med. &c confirmat Christin. vol. 3. decis. 114. n. 6.*

1479 Regula 5. Contra correum credendi, quia alium præveniendo solidum exegit, alter regressum non habet, saltem si obligatio descendat ex causa lucrativa, hoc casu enim subintrat regula: jura vigilantibus scripta sunt. *Strick. in u. m. b. t. §. 2.* at si obligatio descendat ex causa onerosa, communicandum est id, quod alter correus accepit, ut sustinet *p. laud. Strick. loc. cit.* quia eo casu locii sunt.

COROLLARIA.

De obligationibus correaliibus.

1480 Imum: Communior est, & de praxi recepta sententia, correos debendi hodie regulariter habere beneficium divisionis. *Auth. Hoc ita C. de duob. reis stipul.* Nam licet *Nov. 99. ex qua*

haec *Auth.* est desumpta in nigro videatur loqui de correis fidejussoribus, quia tamen nigrum, generaliter conceptum, per *DDres nostros de omnibus correis intelligitur, hinc haec sententia de praxi prævalet. Carpz. p. 2. const. 17. deb. 13.* Ratio est, quod eos, quibus beneficium divisionis indulget Imperator, in ipso nigro appelleat simpliciter reos.

2dum: Cessat beneficium 1481 divisionis. 1mō si alter correorum absens sit, hoc est: si eidem judici non sit subjectus.... 2dō: si alter non sit solvendo.... 3rō: si beneficio sit renuntiatum; *Vitria b. n. 7.* quas exceptiones probant *DDres ex Auth. hoc ita cit. Brunnem. ibidem, & Stephan. ad Nov. 99. num. 7. & seqq....* 4tō: cessat hoc beneficium in foro mercatorum. *Strick in u. m. b. t. §. 5.* quia in hoc foro necessaria est parata executio.

3tum: Obligatio correalis 1482 ab uno purè & ab alio conditio-
nate validè contrahitur. *s. fin. b. t.*
v. g. Titi promittitne mihi 10.? Mevi promittitne mihi eosdem decem, si navis ex asia venerit? utroque respondentē: promit-

to, à Titio pura contrahitur obligatio; à Mevio conditionalis. Harprecht. ad s. fin. b. t. Non obstante 1. quod in L. 9. §. 1. b. t. correli non possint imparē contrahere obligationem. Nam hæc imparitas facilè reduci potest ad paritatem. Non obstante 2. quod stipulatio purè facta non obliget promittentem sub conditione, etenim in nostro casu duæ sunt obligationes, in priori tantum una.

TITULUS XVIII.

De stipulatione servorum.

1483 Servi de jure Romano stipulando non sibi sed domino acquirebant, s. 1. b. ex ratione: quia eadem persona cum domino censabantur, at famuli nostri domestici, uti & homines proprii, regulariter sibi acquirunt, nisi illi ex re domini, aut ejus nomine stipulationem inserint, & hi in præjudicium prædii. Vid. Strick. in u. m. b. t. & ad tit. de statu hom. §. 7. Ratio est: quia sunt homines verè liberi, neque censentur eadem persona cum domino.

TITULUS XIX.

De divisione stipulationum.

Divisiones passim occurruunt **1484** apud Authores, quarum 1ma est, quod alia sit *conventionalis* quæ sit partium conventione. Alia *prætoria*, quæ sit prætoris auctoritate v. g. cautio de danno infecto. Alia *judicialis*, quam judex ex officio interponi jubet v. g. cautio de dolo. Alia *communis*, quæ quandoque Prætoris auctoritate, quandoque judicis jussu interponitur, v. g. cautio rem pupilli salvam fore &c. Franz. num. 3.

2da Divisio stipulationis est, **1485** quod alia sit *simplex*, alia *correalis*, de qua vidimus tit. 17. Laud. Franz. n. 4 3ta est, quod alia sit *dividua*, cuius materia divisionem recipit. v. g. de dandis decem. Alia *individua*, cuius objectum divisionis non est capax. v. g. de tradenda servitute. Franz. n. 10.... 4ta est, quod alia sit *principalis*, alia *accessoria*, de hac tit. 21.

* * *

TL.

TITULUS XX.

De inutilibus stipulationibus.

1486 Stipulatio quibus modis utiliter contrahatur vidi mus, nunc agendum est de modis, quibus ineatur inutiliter. 1mò: itaque inutilis seu invalida est stipulatio defectu *causæ materialis*, nim. si quis stipulatus sit sibi dari rem quæ existere nequit, v.g. hippocentaurum §. 1. b.... aut, quæ non est in commercio humano. v.g. rem sacram, aut aliam juris divini. §. 2. b.... aut rem propriam. d. §. 2. verj. vel rem juam &c.... aut factum alienum præstari. §. 3. b. *de quo supra*....

1487 2dò: Inutilis est stipulatio defectu *causæ formalis*, puta: ob defectum congruae responsionis, aut quod inter hanc & interrogationem diversitas sit in qualitate. v.g. promittisne mihi decem dare? dabo post annum. Aut quod diversitas sit in quantitate, puta: si quis stipulatus sit decem, & alter promiserit quinque. §. 5. *Inst. b.* unde consequitur

Regula 1. Diversitas in tempore plane vitiat stipulationem. L. 5. §. 3. ff. *de V.O.* Ratio est: quia hæc diversitas tanta est, ut nullatenus ad æqualitatem reduci queat, & hinc consensus non est in idem. *Non refragante:* quod correorum unus pro tempore præsenti, & alter prius tempore futuro obligari possit, quia in hoc casu inæqualitas temporis reduci potest ad æqualitatem: Resp. enim hoc inde esse, quia in casu positæ obligationis correalis nulla inter interrogationem & responsionem est inæqualitas, quemadmodum est, si unus pro tempore præsenti aut contra, alter pro tempore futuro aut contra, aut unus pure, & alter conditionatè aut contra respondeat. *Manz. b. §. 5. n. 4.*

Fallit hæc regula tamen in casu, ubi diversitas responsionis statim, antequam animus aliò distrahitur, placuisse, ita enim valeret stipulatio. Ratio est, quia inæqualitas ex consensu superveniente videtur reduta ad æqualitatem, aut alia contracta stipulatio. Prout exprimit *Jctus in cit. L. 1. §. 3. ff. de V.O.* ibique Brunnem.

¹⁴⁹¹ Regula 2. Diversitas in quantitate stipulationem non vitiat, nisi quoad summam excedentem. *L. 1. §. 4 ff. de V. O.* Ratio est: quia hæc inæqualitas facilè reduci potest ad æqualitatem, cum summa minor insit majori. Non obstat §. 5. *Inst. b.* eo quod tantum decidat, talem stipulationem in totum non subsistere, quod verum est, cum corruat quoad summam excedentem, & subsistat tantummodo quoad concurrentem, eo quod in hanc utrimque consensus sit præstitus.

¹⁴⁹² 3tiò: Inutilis est stipulatio ex capite *causæ efficientis*: nempe si quis stipulatur ab eo, quem in sua potestate habet. *§. 6. b. . . aut si mutus, surdus, furiosus, mente captus &c.* stipulationem celebret, &c. *§. 7. & 8.* Ratio prioris est, quia qui in potestate est, censetur eadem persona cum illo, in cuius potestate est; Ratio posterioris est: quia similes personæ aut perfectè consentire nequeunt, aut verborum solennium proferendorum sunt incapaces.

¹⁴⁹³ 4tiò: Inutilis est stipulatio tam ex capite *causæ materialis*,

quàm *efficientis*, videlicet: si conditio aut *de facto*, aut *de jure impossibilis* stipulationi affirmativè adjiciatur. v. g. si dígito cœlum tetigero, si Titum occidero, an dabis mille? Ratio est: quia conditio impossibilis omnem contractum vitiat, tum quia res promissa fieri nequit, tum quia partes eo casu non vindicentur habere consensum, ut pote qui absque animo non potest esse. *§. 11. Inst. b.*

Dixi: *Si conditio impossibilis sit concepta affirmativè* ¹⁴⁹⁴: nam, *si conditio de facto impossibilis negativè concepta sit adjecta*, stipulatio habetur pro pura. *d. §. 11. Inst. b.* Ratio est: quia hæc conditio certò est extitura, & hinc quasi habetur pro impleta. Notandum autem est: me dixisse: *si de facto sit impossibilis*, per consequens *conditio jure impossibilis*, licet negativè concepta sit, stipulationem vitiat. *Manz. b. §. n. 11.* cum quis gratis à malo abstinere debeat.

5tiò: Inutilis est stipulatio ¹⁴⁹⁵ *ratione causæ finalis*: sc. Si quis alteri stipuletur v. g. promitti ne Petro 10.? promitto. *§. 4. Inst. b.* Ratio est: quia finis stipula-

pulationum est, ut quisque sibi acquirat, non alteri.... fallit hæc regula 1. Siquis illi stipuletur, in cuius potestate est. d. §. 4. b. 2. Siquis sibi aut alteri alternativè stipuletur. v. g. mihi aut Sejo dare tpondes? quia eo casu stipulanti quæritur obligatio, & alteri rectè solvi potest. d. §. 4. vers. planè solatio &c. 3. Siquis sibi & alteri stipulatus sit, tunc enim valet respectu stipulantis, ut ipsi debeatur dimidia, ne utile per inutile vitietur, non autem quoad tertium, ex regula: quia alteri nemo stipulari potest. d. §. 4. vers. siquis &c. 4. Siquis stipuletur ei, quem habet in potestate, nam eo casu acquiritur stipulanti, cum is cum alio v. g. filio, servo &c. censeatur eadem persona.

COROLLARIA

De iniutilibus stipulationibus.

1496. Primum: Licet hodie tanta verborum solennitas ad inducendam verborum obligacionem non sit necessaria, ac de jure Romano, cum quoque si-

des, per verba minus solennia ore prolatæ, data, actionem in foro producat, attamen etiam hodie nulla contrahitur verborum obligatio, ubi defectus est aut *in causa materiali*, aut *in causa formalis*, si à verborum solennitate lubeat præscindere, aut *in causa efficiente*, regulariter saltem, aut denique *in causa materiali & efficiente simul*. Ratio est: quia omnibus his casibus aut consensu, qui solennitas est omnibus contractibus etiam de jure Gentium intrinseca, deficit, aut impossibile est ob materiae impossibilitatem contractum adimplere.

2dum: De moribus defectus 1497
causæ finalis tantum verborum obligationem non vitiat, neque impedit actionem; hoc est: licet de jure Romano regula sit alteri *per alterum non queri actionem, neque obligationem*: ex ratione: quod inter promisorem & tertium nihil aëtum sit. Groenwegen de LL abrogat. ad §. 19. Inst. b. attamen de jure nostro alteri per alterum regulariter actio queri potest, & obligatio. Rationem dat Laud. Groenvv. loc. cit. post varios

DDres allegatos quia nihil tam congruum est fidei humanæ, quam ea servare, quæ inter contrahentes placuerunt. Consentit *Mev. p. 4. Decis. 112. n. 5.* ad stipulatur *Brunnem. ad L. 25. ff. de pact. inof. & Faber ad C. lib. 4. tit. 35. def. 1.* subscribit.

TITULUS XXI.

De fidejussoribus.

1498. Dux in Tit. 19. de divisione stipulationum: aliam esse principalem stipulationem, aliam accessoriā, de illa vidimus, modò itaque dicendum est de accessoriā, seu fidejussione, quæ describitur à Franz h. n. 2. esse stipulationem, quā quis pro alieno debito fidem suam interponit, debitore principali nihilominus manente obligato. quam probat Vitriar. h. n. 2. ex qua

1499. Sequitur 1. Quod, cum ad stipulationem de jure Romano necessaria sint verba solennia, talia ad fidejussionem pariter requirantur, & hinc regulariter, qui verborum, ore proferendorum, non sunt capaces, quoque fidejubere nequeant. Ratio

stat in trita juris regula: à quo removetur genus, ab eo removentur singulæ species.

Sequitur 2. Ad fidejussionem *1500.* requiri, ut obligatio, aliqua saltem, præcedat, nam, cum ipsa sit accessoria, absque alia principali subsistere nequit, eo quod nullum accessoriū regulariter absque principali constat.

Sequitur 3. Omni obligatio *1501.* ni regulariter fidejussorem posse accedere. §. in omnibus 1. Inst. b. ex quocunque contraētu descendenti, etiam accessoriæ &c. Ratio est: quia fidejussionis finis primarius est, ut creditor in persona fidejussoris pro contraēto debito securitatem consequatur, qui finis regulariter omni obligationi adaptari potest, ergo regulariter omni obligationi fidejussor potest accedere.

Sequitur usque adeò *4. obli-* *1502.* gatio merè naturalis regulariter fidejussorem non respuit; hoc est: licet fidejussor accederet obligationi merè naturali, nihilominus teneretur. Rationem dat *Manz. in tr. de fidejuss. cap. 4. n. 8.* quia ipse debitor naturâ debet,

debet, hoc est: naturaliter est obligatus; per consequens, cum in hoc supposito fidejussor in duriorem causam non accipiatur (quæ fortè esset contrariam sententiam sustinendi ratio) eò quod in plus intensivè tolummodo obstringatur, nulla juris analogia vetat, quo minus ipse fortius obligetur, quam Principalis.

1503 Sequitur 5. Fidejuberi quoque posse pro debitore obligato merè civiliter, s. 1. *Inst. b.* modo obligatio talis sit, ut in foro actionem producat, aut immediat conditionem, hoc est: repetitionem. Ratio est. *Juxta Wesenb. ad Inst. b.* quia iniquum foret fidejussorem constringere ad solutionem ejus, cuius soluti principalis haberet repetitionem. Exemplum restrictionis est in liberto, qui operas ad certum tempus promisit, & eo lapsu putat se adhuc esse obligatum, hic enim donec excipiat manet merè civiliter, & secundum dici obligatus, fidejussor tamen, quem dedit, non obligatur. *Manz. in tr. de fidejuss. Cap. 4 n. 23.*

1504 Sequitur 6. Etiam obligatio

ni poenali, quando poena non est corporis afflictiva, fidejussor validè accedit. *L. 56. s. fin. ff. b. t.* nec non *L. græcè 8. ff. eod. §. 5.* ibique *Brunnem.* Ratio est: quia publicè interest etiam exsolutiones poenarum suam habere securitatem. Dixi: quando pœna non est corporis afflictiva: Nam secus est in poena corporis, cum eo casu fidejussor innocens esset puniendus, quod sa- næ rationi repugnat.

Sequitur econtrario 7. fidejussorem non obligari primò quando accessit obligationi, & lege aut statuto reprobatae. *L. 46. ff. b. t.* Vid. *Brunnem ibid.* puta: stipulationi rei, quæ non est in commercio... nec 2dò: quando obligationi inutili v. g. turpi adjectus rei erit. *L. 16. in pr. b. t.* Ratio: quia obligatione principali nullâ nulla pariter est accessoria....

Sequitur 8. Regula est: quis cunque ex fidejussione obligatur; exceptio autem: nisi proprius judicii aliosve defectus prohibetur, aut, nisi lex ob specialem rationem alicui succurrat. Ratio est: quia sicuti specialiter non prohibitus, nec privilegio

munitus alios contractus potest celebrare, ut inde obligetur, ita pariter fidejussionem, cum non appareat solida ratio diversitatis. Ex quibus porro

2507 Sequitur 9. Infantes, im-
puberes; saltēm absque tuto-
rum auctoritate, furiosos, men-
te captos, prodigos, quibus
bonis est interdictum &c. regu-
lariter fidejubere non posse.
Ratio est: quia in his deficit
perfectus rationis usus, per
consequens, quemadmodum à
caterorum contractuum cele-
bratione arcetur, ita pariter à
contractu fidejussionis repel-
luntur.

2508 Sequitur 10. Milites militiae
terrestris, intellige, sagatae, ob
privilegium regulariter ex sua
fidejussione non obligari, pro-
ut probatur per L. 8. s. 1. ff. qui
satisd. cogantur. & latius firmat.
Harprecht ad Inst. b. in pr. n. 39.
ubi rationem dat: ne milites
quaesito negotiorum forensium
colore à studio militiae avocentur,
& regulam ad milites nostri
temporis ampliat.

2509 Dixi: Milites militiae ter-
restris: at dubium est: de militi-
bus militiae cœlestis, sive clericis?

ad quod cum Harprecht loc. cit.
num. 40. contra Bocerum resp.
clericos quoad bona patrimo-
nialia ex fidejussione obligari
posse. Rationem assignat laud.
Harprecht. hanc: quia clericus
nullibi in jure simpliciter fideju-
bere prohibetur, sed tantum
quoad res Ecclesiæ, per cap. 4.
§. de fidejuss. quam sententiam
approbat Barbosa ad cap. 3. §.
ea. n. 2.

Sequitur 11. Mulieres pro 1510
aliis intercedentes, hoc est: si-
dejubentes, de jure Digestorum
saltēm, efficaciter non obligari,
sed exceptione SCti Vellejani
juvari. t. t. ff. ad SCtum Velle-
janum. Ratio est: tum ne prop-
ter fragilitatem sexus facile de-
cipiantur, tum quia repellun-
tur ab officiis publicis, quibus
intercessiones pro aliis interpo-
satæ, tanquam aliorum defen-
siones, annumerantur. Zan-
ger. de except. p. 3. cap. 11. n. 1.
& seqq.

Dixi 1. Mulieres fidejubendo 1511
pro aliis, de jure Digestorum sal-
tem, efficaciter non obligari:
nam de jure Codicis, in L. 23.
§. fin. ad SCtum Vellej. conten-
to, ex fidejussione pro alio in-
terpo-

terposita regulariter nullam contrahunt obligationem fœminæ, nisi in instrumento publico, subscriptione trium testium munito, facta foret fidejussio. *Vid. Brunnem. ad cit. L. 23. § fin.* *C. ad SCtum Vellej.* Ratio est: quia, jure antiquo abrogato, Imp hic instrumentum publicum ad fidejussionis substantiam videtur requirere, & hinc eo deficiente exceptione SCti opus non est.

1512 *Dixi 2. Si pro alio intercesserint;* etenim si fidejussissent pro maritis, nequidem per publicum instrumentum obligarentur. *Auth. Si qua. Mulier. ad SCtum Vellej. ibique Richt. n. 1. Nov 134 cap 8.* sed ejusmodi obligatio habetur, ac si facta non fuisset. Ratio est: quia lex præsumit facilius mulieres ad fidejubendum etiam in publico instrumento per maritos induci posse, ac per extraneos.

COROLLARIA

1513 *Primum: Mulier, pro marito fidejubendo, aut se veluti*

corream obligando, validam contrahit obligationem, si pecuniae in ejus utilitatem versae probentur. *d. Auth. Si qua mulier C. ad SCtum Vellej.* Ratio: quia eo casu, nisi fœmina obligaretur, locupleraretur cum alterius jactura, quod naturalis ratio non patitur.

2dum: *Mulier ex fidejussione efficaciter obligatur, ubi inter ipsam & maritum inita est bonorum communio, Manz. intr. de fidejuss. cap 3. n. 39.* Ratio est: quia eo casu versio in mulieris utilitatem facta præsumitur, adeoque non debet cum alterius damno reddi locupletior.

3tum: *Mulier mercatoris, vel cum marito communem negotiationem, aut cauponariam exercens pro marito obligatur, quia eo casu uxor est mariti socia, per consequens contraheentes cum ipsa iniquè decipiendi non sunt, quod consuetudine Germanie ita receptum esse, testatur Gail. 2. obs. 19. n. 5.*

4tum: *Quidquid sit in punto juris, indubitate praxi recepta est sententia, quod mulier de beneficio SCti Vellejani*

Qq

sibi

sibi competente certiorata ei-
dem validè renuntiet. *Gail. 2.*
obs. 77. per tot. Ratio: tum quia
quilibet favori pro se introducto
renuntiare potest, tum quia re-
nuntiationes favorabilium juris
beneficiorum sunt odiosæ, &
hinc non præsumuntur factæ ab
eo, qui vim illorum non intel-
ligit.

1517 5tum: Fidejussor, in Elec-
toratu Trevirensi ad tres annos
obligatus, inducis à creditore
datis, non tenetur ad usuras
quarti anni. *Statut. Trevir. tit.*
15. §. 9.

1518 6tum: Fidejussor impliciter
obligatus, placitis interim inter
creditorem & debitorem solu-
tionum terminis, in Electoratu
Trevirensi non liberatur. *Sta-
tut. Trevir. tit. 15. §. 11.*

APPENDIX

De beneficiis fidejussoribus competentibus.

1519 Tria fidejussoribus in Jure
prodita sunt beneficia, *Primum*
est excussionis, seu ordinis,
adum est divisionis, & 3tum
est cedendarum actionum, quo-

rum cùm in Jure & Praxi non
exigua sit utilitas, de iis, ante-
quam hinc abeamus, facienda
est inspectio. *Primum* itaque
excussionis, seu ordinis bene-
ficium est exceptio, quā fidejussor
ante debitorem principalem in ju-
dicio conventus actionem eosque
declinat, donec is realiter sit ex-
cussus.

Regula ergò est: Fidejussor **1520**
hodie rectè non convenitur,
niſi excusio priùs principali debi-
tore. *Nov. 4. cap. 1.* & inde
desumpta *Auth. præsente C. de*
fidejussor. Rationem dāt *Steph.*
ad cit. Nov. 4. eò quod ratione
convenientis sit, ut principalis
ante debitorem, accessoriè ob-
ligatum, conveniatur, prater-
quam, quod durum videatur,
fidejussorem istud suæ benevo-
lentie damnum ferre, ut ante
debitorem actionis molestias
persentiscat.

Regula hæc ita vera est, ut **1521**
procedat *primò* licet fidejussor
etiam juratò promississet, se so-
lveturum id, quod principalis
debet, prout sustinet *Harprecht*
ad s. siplures Inst. h. t. n. 41. Ra-
tio est: eò quod jurans solvere
non intelligatur per hoc renun-
tiasse

tiâsse beneficiis juris favorabili-
bus sibi competentibus.

¹⁵²² Ampliatur 2. Ut neque , si quidquam bonorum principali supereret, contra fidejusorem procedi posset. Ratio est: quia excusso est bonorum usque ad peram & interulam diligens fa-
cta inquisitio. *Caroc, de excuss.
hon. q. I. n. I.*

¹⁵²³ Fallit tamen regula & cessat excussonis seu ordinis benefi-
cium primò: si principalis notoriè solvendo non esset. *Gail. 2.
obs. 27. n. 14. & seqq.* Rationem decisionis in eo collocat , quòd nostro casu excusso foret fru-
stranea , & modos suppeditat,
quibus probari valeat , debito-
rem notoriè non esse solvendo,
v. g. quòd ad juramentum pau-
pertatis fuerit admissus , bonis
cesserit , aut omnibus bonis fue-
rit privatus .

¹⁵²⁴ 2dd Fallit regula , si debitor principalis sit difficilis conven-
tionis , puta : quòd sit rixosus,
potens , injuriosus , aut ad quem
non patet tutus , aut non facilis
accessus ab loci distantiam. *Gail.
loc. cit. n. 25. & 34.* Ratio est:
quia his casibus inducitur noto-
rietas facti , debitorem non esse

solvendo , jam autem paria sunt,
debitorem non esse solvendo ta-
cultatibus , & non esse solvendo
conveniendi facultate.

^{3tiò} Limitatur regula , si fi- ¹⁵²⁵
dejussor renuntiâisset isti benefi-
cio consultò , & specialiter.
Harprecht n. 28. Ratio est: quia
quilibet favori pro se introducto
consultò & specialiter renuntiare
potest , quòd autem istud ex-
cussionis privilegium favor sit
fidejusoris , nemo facile diffi-
tebitur.

Dixi 1. *Si fidejussor specialiter* ¹⁵²⁶
renunciaverit isti beneficio. Nam
si renuntiatio tantum foret ge-
neralis v. g. renuntio omni ju-
ris & legis auxilio , ipsa ab hoc
beneficio non excluderet. Ratio
est: quia talis renuntiatio intel-
ligi debet de exceptionibus levi-
bus & frivolis , prout notat *Gail.
1. obs. 33. n. 5.* aut de beneficiis
juris non ita favorabilibus , v. g.
doli , rei aliter scriptæ quam
gestæ &c.

Dixi 2. *Si consultò huic bene-* ¹⁵²⁷
ficio foret renuntiatum: nam si
notarius renuntiationem hujus
beneficii ex consuetudine instru-
mento insereret , eidem creden-
dum non esset , quia , ut inquit

laud. Gail. 2. obs. 27. n. 24. non figurā literarum, sed consensu nostro obligamur. *L. non figura* 38. ff. de O. & A.

1528 4tō Restringitur regula, si fidejussor se obligasset, ut debitorē principalem; licet enim multi contrariam putent esse veriorem, ex ratione, quod hoc beneficium inductum sit in merum fidejussoris favorem, adeoque non nisi per renuntiacionem specialem excludi possit, at tamen, quia constituere se, ut principalem debitorem, in sensu juridico aliud non est, quam renuntiare, ne hæc verba sint otiosa, dicendum est, hæc formulâ beneficium ordinis cessare, quemadmodum pluribus firmat Berlich. p. 2. concl. 23. n. 4. & seqq. & decidit statutum Trevirensē Tit. 15. §. 4.

1529 5tō Non est locus regulæ in foro mercatorum, ex mente Gail. 2. obs. 27. n. 27. ex ratione, eò quod in foro mercatorum summarie, de plano, & ex æquitate, non inspectis Juris subtilitatibus sit procedendum, & licet alii contradicant, ego tamen sententiæ Gailii accedo, eò quod in foro mercato-

rum omnia debeant esse paratae executionis.

Secundum beneficium fidejussoribus competens appellatur divisionis, & est exceptio, quod unus ex fidejussoribus in solidum conventus actionem e usque declinat, donec inter se & confidejussores obligatio dividatur, quod fundatur in s. siplures 4. Inst. h.t. nec non L. 10. §. 1. C. de fidejuss. Est itaque hic statuenda hæc

Regula: Creditor à singulis fidejussoribus partes petere, & quemlibet non nisi pro virili portione excutere potest. d. §. 4. Inst. § L 51. ff. h.t. Ratio est: quia æquitas exposcit, ut quod à pluribus promissum est, à pluribus quoque præstetur, cum alia creditoris non possit esse intentio, quam ut plures fidejussores unum debitorem re-præsentent.

Cessat autem hoc beneficium primò: si fidejussores non conveni solvendo non sint. §. 4. Inst. b. Zang. de except. p. 3 cap. 19. n. 12. Ratio est: quod præsumendum non sit, à lege creditoribus voluisse præjudicium inferri.... 2dō cessat, si illi sit renun-

renunciatum specialiter & consultò. *Idem Zing. loc. cit.*

1533 **Tertium** beneficium fidejus-
torum cedendarum actionum di-
citur, & est exceptio, quā unus
ex pluribus fidejussoribus conven-
tus intentatam actionem tamdiu
declinat, donec creditor actiones
contra debitorem principalem ip-
sum, & confidejussores compe-
tententes cesserit. Ubi statuenda
est sequens

1534 **Regula:** Creditor, antequām
contra confidejusserem possit
efficaciter experiri, actiones
contra debitorem & confidejus-
sores competentes cedere tene-
tur. *L. 17. ff. h.t.* Ratio est: tum
ut confidejussori solventi eō
pinguiori remedio prospiciatur,
tum quod hæc cessio creditori
nullâ ratione noceat. *Brunnem.*
ad d. L. 17. h.t.

1535 Fallit hæc regula *primo* con-
tra alios contrarium sustinentes,
si huic beneficio foret in specie
renuntiatum, quia quilibet fa-
vori pro se introducere renuntia-
re potest... *2dō*, Si amissa
essent instrumenta, & cum de-
bitore confidejussor debitum
fateretur. Ratio est: quia eo
caso de debito sufficienter con-
staret. *Brunnem. add L. 17. h.t.*

COROLLARIA

De beneficiis fidejussoriis.

Primum: Fidejussor indem 1536
nitatis ante principalem debito-
rem conveniri non posset, etiam
si in specie beneficio excussionis,
aut ordinis renunciasset. *Lau-
terb. in Disp. de indemnit. fid. §.
37.* Ratio est: quia talis fide-
jussor absque illo beneficio tutus
est per exceptionem: *Tibi non
competit actio;* creditori oppo-
nendam.

Secundum: Creditor plures 1537
fidejussores, qui beneficio divi-
sionis in specie renunciārunt,
conveniendo, & executionem
contra singulos pro rata admit-
tendo, si unus reperiatur non
solvendo, contra alios non ha-
bet regressum. *L. 16. C. de fide-
juss. Carpz. p. 2 const. 17. def. 11.*
Ratio: quia creditore eo casu di-
visisset obligationem, quod sibi
imputare debet.

Tertium: Quod, si credi 1538
tor culpâ suâ aut vicio non posset
actiones cedere fidejussori, is
non teneatur solvere. *Sichard.*
ad L. 2. C. de fidejuss. n. 7. ex ra-

298

Inst. Lib. 3. Tit. 22.
tione, ne fidejussor ob credito-
ris culpam favorabili hoc Juris
beneficio privetur.

TITULUS XXII,

De literarum obligationibus.

1539 Tertia species contractuum
verorum est *literalis*, quem li-
cet non admittat *Bachov.* ad *Inst.*
h. tit., eò quod agens ex scriptu-
ra, seu chyrographio non fundet se principaliter in hoc, sed
in pecuniae numeratione, ego
tamen cum *Gletle in quest. jur. ex*
3.p. Pand. cap. 2. n. 1. & seqq. ve-
rius puto contractum literarum
de jure Romano dari, argumento
Bachovii non obstante, eò quod,
ut inquit *laud. Gletle n. 4. loc. cit.*
quoque is, qui pecuniam tan-
quam creditam sibi stipulatus
est reddi, fundet se principaliter
in numeratione, quam probare
tenetur, & tamen obligatio
consurgit ex stipulatione, seu
verbis solennibus ore prolati.
Hinc

1540 Infertur ex cit. *Gletle n. 6.*
diversa esse, contractum perfici-
cum respectu ad obligationem sim-
plicem, & cum respectu ad obli-

gationem efficacem, jam autem
ad obligationem simplicem respi-
ciendo literarum contractus per-
ficitur sola scripturâ; at reflecten-
do ad obligationem efficacem (sal-
tem si de æquitate loqui velim-
us) hæc non aliter consurgit,
quam si numeratio pecuniae in-
tervenerit.

Adhæc *Boehm.* in tr. de act. 1541
seq. 2. cap. 8. §. 57. & seqq. pro-
bat ex L. 40. ff. de reb. cred. L. 41.
§. 2. de usur. L. 5. §. 3. ff. de con-
stit. pecun. scripturâ & quidem
solenni, puta: *Ego scripsi &c.*
contractas fuisse obligationes,
quibus de jure veteri exceptio
non numeratae pecuniae opponi
non poterat, eò quod essent
stricti juris, in quibus obtinet
regula: *quod expressum non est,*
in judicium venire non potest;
prout decidit *JCtus in L. 99. de*
V.O. Ex æquitate tamen post-
modum hanc exceptionem fu-
isse admissam, primùm ad quin-
quennium, & deinde per L. 14.
C. de non num. pecun. ad bien-
nium restrictam, ostendit idem
Boehm. ergo, infert, præsup-
ponenda est de *Juris stricti rigo-*
re actio, & obligatio.

His de jure Romano circa con- 1542
tractus

tractus literalis existentiam prælibatis dubium movet præclaud. Boehm. loco ubi supra s. 60. An hodie adhuc detur literarum obligatio, seu contractus chyrographarius? quod ipse negativè resolvit, ex hac ratione, quod hodie quidem chyrographa scribantur, at non tanquam media obligandi (uti olim solenni cautione, ad similitudinem stipulationum) sed tanquam media probandi, cùm apud Nos formulariæ illæ solennitates receperat nunquam sint, per consequens intentio partium per literas se specialiter obligandi deficiat.

2. Hoc tamen adhuc hodie verum est, quod si chyrographum habeat adscriptam causam debendi ex eodem executivè agi, neque creditori onus probandi numerationem injungi possit, quia naturale est, ut confessio in scriptis emissa contra confitentem tamdiu probet, donec ipse probet contrarium. Boehm. loc. cit. s. 61. lit. I. Secus est, si causam debendi adscriptam non habeat. per L. 25. in f. de probat. Vid. Brunnem. ad L. 13. C. de non num. pecuit.

Est itaque contractus literalis 1544 de jure Romano contractus, quo scriptura solenni promittimus nos soluturos summam literis comprehensam, quemadmodum stipulatio est, quando verbis solennibus ore prolati promittimus nos reddituros summam ore expressam. Ratio patet ex dictis, quia apud Romanos ea erat partium intentio, ut non tantum verbis solennibus ore prolati, sed etiam scriptis se obligarent. Ubi ex dictis

Notandum est: De jure Romano civili antiquiori literatum contractus obligationem producebat, nullà exceptione elibilem, nam cùm esset contractus stricti juris, uti stipulatio, hinc, quod in eodem expressum non erat, in judicium venire non poterat. d. L. 99 de V.O. Ex æquirate postmodum exceptio non numeratae pecuniae de jure Prætorio opponi poterat, ed quod Jus, sicut in mutuo & dote, præsumeret, spe futurae numerationis chyrographia emissa esse, & hinc numeratio per creditorem debebat probari, quando contra debitorem agi volebat efficaciter.

Dixi:

1546 Dixi: *In mutuo & dote exceptio non numeratae pecuniae usque ad biennium contra solennem scripturam opponi potuisse.* Nam in aliis bonae fidei negotiis, ubi scriptura communis intervenisset; non alterabatur per id natura negotii principalis, & hinc, ut ut in scripturam redacta esent, exceptio non numeratae pecuniae perpetuo competebat, cum tempus quo ad haec negotia restrictum non inveniatur.

1547 At quares: an adhuc hodie exceptio non numeratae pecuniae etiam in dote & mutuo usque ad biennium opponi possit? ad quod respond. Perez. ad Cod. de non numerat. pecun. n.7. Rebuffi. in tr. de recognit. chyrog. ad art. 93. const. 35. n.68. Zypaeus in not. ad Jus Belg. tit. de except. negativè, & sustinent, quod, nisi intra paucos dies debitor ad Judicem recurrerit, creditori non incumbe numerationis probationem, ex ratione forte, quod, cum varia debitori contra chyrographum reclamandi competant remedia, contra debitorem militet presumptio accepta numerationis, nisi justum

impedimentum allegare, & probare valeret.

COROLLARIA

De non numerata pecunia.

Primum: Exceptionem non numeratae pecuniae eo modo, quo suprà in literis cambialibus, quæ in propriam dantis personam diriguntur, eamque debitricem constituunt, quoque locum habere de jure communni, docet Coccejus in *jure controv. ad tit. de reb. cred. q.25.* Ratio est: quia in his cambiis eadem, ac in mutuo, militat ratio, per consequens eadem quoque obtinere debet decisio.

2dum: At in cambiis, quæ ad tertium diriguntur, neque à dante, neque acceptante exceptionem prædictam opponi posse, sustinet laud. Coccejus ibid. Rationes, prater cæteras, dat has: tum quia dans creditor est, adeoque nullâ necessitate constringitur, fatendi, se pecuniam accepisse, quam non accepit, tum quia acceptans non tenetur ex facta numeratione, sed acceptatione.

3tum:

¶ 550 3tium: De moribus in omnibus cambiis cessare non numeratae pecuniae exceptionem, firmat *Carpz. in Jurisp. foren. p. 1. const. 32. def. 69.* & in *Resp. lib. 2. resp. 92.* saltem, si inter mercatores quæstio vertatur, tum quia in toro mercatorum omnia debent esse paratißimæ executionis, tum quia literis cambialibus inseri solent hæc formalia: *valuta soluta.*

velar

¶ 551 4tum: Casu, quo exceptio non numeratae pecuniae locum habet, opponi posset, licet etiam promissio de restituendo foret juramento vallata. *Barbosa ad L. fin. C. de non numer. pecuniâ.* Rationem dat, quia juramentum non firmat talem promissionem, tanquam sine causa & fomento. *Vid. Covar. in cap. quamvis patrum p. 1. s. 3. n. 10. & II.*

TITULUS XXIII.

De obligationibus ex consensu.

¶ 552 Quarta species contractuum est *consensualis*, sive *contractus*, qui nudo & ad certam rem determinato consensu perficitur. *Victoria. ad Inst. b.* Ratio suprà data

fuit, nam, quemadmodum contractus reales rei interveniunt, verbales verbis, ore prolati, & literales literis perficiuntur, ita consensuales à solo consensu specificantur, non quasi alii contractus absque consensu celebrari possent, sed quodd hi pro forma substantiali specialiter consensum requirant, licet etiam, quando de consensualium consummatione agitur, rem intervenire, necesse sit.

Contractuum consensualium 1553 quinque sunt species, emptio-venditio, locatio-conductio, contractus emphyteuticus, societas, & mandatum, de quibus ordine est tractandum, & quidem primò de Emptione-Venditione, sit itaque

TITULUS XXIV.

De emptione & venditione.

Prima species contractuum 1554 consensualium emptio venditio est *contractus consensu initus*, de merce determinata emptori tradenda, & pretio certo venditori dando. Ita ferè *Harprecht ad Inst. b. n. 6.* unde patet aliorum descrip-

Rr

scriptiones : quod Emptio-venditio sit contractus consensualis de merce certa erga pretium certum commutanda : esse minùs juridicas , eò quod merx quidem & pretium commutentur suo sensu ; at pretium datur , hoc est : dominum pretii transferitur ; & merx traditur ; id est : vacua mercis possessio præstatur . De quibus in sequentibus . Itaque

1555 Sequitur 1. Consensum esse emptionis & venditionis formam substancialē, adeoque illo posito contractum statim intelligi perfectum . Arg. L 9 in pr. ff. de contrah. empt. Ratio est : quia quisunque actus positā suā formā substanciali perficitur , licet ad consummationem quandoque alia sint necessaria .

1556 Sequitur 2. Præstito in pretium certum , & mercem determinatam consentu emptionem venditionem perfectam esse , licet pretium nondum sit numeratum , nec merx tradita . Prout statuit Imp. in pr. Inst. b.t. Ex ratione , quia emptione - venditio sola conventione , & consensu contrahitur , non autem res interventu .

Sequitur 3. Emptionem-venditionem regulariter perfectam esse , licet nondum in scripturam sit redacta , ita Imp. in pr. Inst. b.t. Quia scriptura regulariter ad emptionis - venditionis substantiam non est necessaria , sed , si ita partibus placuerit , veluti conditio sine qua non exigitur . Lauterb. in Coll. Theor. pract de contrah. empt. th. 4.

Dixi : Emptionem regulariter 1557 . absque scriptura perfectam esse : nam si partibus placuerit , ut emptione - venditio in scriptis fiat , v. g. si convenerit , ne partes obligentur ante scripturæ confirmationem , scriptura est necessaria , non quidem ut efficiens , sed ut causa sine qua non , atque ita scripturā interveniente contractus perficitur . Ratio : quia hanc partes legem contractui dixerunt , quæ servanda est , laud . Lauterb. loc. cit.

Sequitur 4. Emptio perfecta 1558 est , licet quoque arrha non intervenerit . Imp. in pr. Inst. b. Rationem dat , quia arrha tantum evidenter probationis gratiæ interponitur , non ad obligationis substantiam . Harp-recht. n. 78 § 81. ubi

1559 Notandum est ex *Manz. b. n.*
19 arrhas aliquando adjici contra*ctui* emptionis - venditionis perfecto, & eo casu datur in argumentum emptionis - venditionis perfectae; quandoque autem adjicitur contra*ctui* nondum perfecto; sed concepto tantum; & de hoc contractu loquitur *Imp. in pr. Inst. b.*

1560 At quæres: quid intersit, an emptio - venditio perfecta sit, an adhuc imperfecta? Resp. Emptione - venditione perfecta *primò*: oritur obligatio & actio empti - venditi; at imperfecta non... *2dō*: in perfecta locus non est poenitentia, adeoque ab illa nequidem cum amissione arrharum resilire licet; in imperfecta secus est. *Imp. in pr. Inst. b. Manz. b. n. 2.... 3tiō:* Emptione perfecta periculum rei emptæ, licet nondum traditæ, pertinet ad emptorem, sed nondum perfecta, ad venditorem. *L. 8. ff. de pericul. & comm. rei vend.* *Brunnem. ibid. n. 1.*

1561 Sequitur 5. Ad emptionem venditionem *ex parte objecti* requiri, ut merx sit determinata. Unde non valet, vendo tibi fun-

dum, animal, domum &c. pro 100. &c. *Lauterb. ad ff. de contrah. empt. §. 10.* Ratio est: quia his casibus res in venditionem deducta incerta est, jam autem incertitudo consensum excludit.

Sequitur 6. Emptionem - venditionem rei celebratam *ad corpus*, aut *per aversionem*, nullâ quantitatis facta mentione, aut si quantitas solummodo demonstrationis gratia adjiciatur, quoque perfectam esse, licet quantitas nondum per mensuram &c. sit determinata. *L. 35. s. 5. ff. de cont. empt. Mantica de tacit & ambig. convent. lib. 4. tit. 17. n. 2.* Ratio est: quia hoc casu principaliter res, quantitas autem tantum accessoriè censetur vendita.

Dixi 1. Si emptio venditio rei sit 1563 celebrata *ad corpus*, aut *per aversionem*: Est autem rem ad corpus aut *per aversionem* vendi, quando contrahentes à nomine designante certum corpus, vel sine, vel cum expressione quantitatis, contra*ctum* inchoant. v.g. *Vendo tibi fundum Tusculanum, qui est decem jugerum, 100. Imper. aut vendo tibi fun-*

304

Instit. Lib. 3. Tit. 24.

*dum Cornelianum, continentem
10. jugera, 100. Imp. Mantica
loc. cit. n. 12.*

1564. *Dixi 2. Emptionem venditionem ad corpus, seu per aversiōnēm perfectam esse ante mensuram: etenim celebrata ad mensuram & quantitatem, antequam mensura est adhibita, non est perfecta. L. 35. § 5. ff. de contrah. empt. Mantica loc. cit. n. 2.*
Ratio est: quia ante mensuram merx non est determinata, jam autem ante mercis determinationem emptio. venditio non est perfecta.

1565. *Notandum autem 1. ex eod. Mantica loc. cit. n. 12. toties censeri contractam emptionem venditionem ad mensuram, quoties contrahentes mentis conceptum explicare incipiunt per verba, quæ denotant mensuram (idem est de verbis importantibus numerum & pondus) v. g. vendo tibi centum jugera fundi Tusculani mille Imp. Ratio est: quia eo casu contrahentes potius in jugerum quantitatem, quam corpus consenserunt.*

1566. *Notandum 2. Quod dixi venditionem ad mensuram perfe-*

ctam non esse ante admensurationem, intellige ad istum effectum, ut nondum facta mensura periculum pertineat ad venditorem, nam perfecta est ad hunc effectum, ne sit pœnitentiae locus, eò quod etiam conditione pendente non liceat recedere. Mantica loc. cit. n. 5.

Sequitur 7. Sufficere mercis 1567 determinationem in spe tantum, ut perfecta existat venditio, unde jactu retis empto integrum pretium solvendum est, licet nulli pisces capti sint. *L 8. §. 1. ff. de contrah. empt. Brunnem. ad L 12. in pr. ff. de act. empt. Ratio: quia spes hoc casu sustinet mercis vicem.*

Dixi: *Factu retis empto integrum pretium deberi, licet nihil captum sit: Nam singulis piscium libris emptis, si nihil captum sit, quoque nihil pretii debetur. Widmond. ad ff. b. t. n. 32. Quia hoc casu singulæ piscium libræ singulis pretiis emptæ censentur.*

Sequitur 8. Ad emptionem 1569 venditionem requiri pecuniam numeratam, sive nummos ad numerum solvendos. *§. 2. Inst. b. t. Vitria, b. n. 13. Ratio: quia sola:*

sola pecunia numerata est aliarum rerum adæquata mensura, qualem emptio-venditio importat.

1570 Dux: *Nummos in emptione-venditione ad numerum solvendos esse:* Hinc emptio-venditio non est, aut si ab altera parte pondus argenti, vel auri, aut alias res à pecunia distincta daretur. L. 1. s. 1. *ff. de contrab. empt.* Lauterb. h. t. s. 38. Ratio: quia pretium, quod emptioni-venditioni intervenit, mensura est mercis venditæ, quæ denominatio in res à pecunia distinctas non cadit.

1571 At dubium est: an dicenda sit emptio-venditio contractus, cui ex parte emptoris partim pecunia, partim res à pecunia distinctæ intervenit? Respondeo 1. esse emptionem venditionem, si partes convenerint, ut merx traderetur, & pretium numeraretur, licet ex altera parte interveniret res. L. 6. s. 1. *de act. empt.* Mull. *ad Siruv. Exercit.* 23. th. 16. Ratio: quia actus à principali contrahentium intentione specificantur.

1572 Respondeo 2. Si partibus principaliter placuerit, ut res

cum alia re permuteatur, erit permutatio, licet simul data sit pecunia. Cap. 6. *de permutat.* Mull. *ad Siruv. loc. cit.* Ex ratione mox data, ne contra contrahentium mentem prouuntietur.

Respondeo 3. In dubio distingendum est cum *Coccejo in jure controv. de contrab. empt.* q. 19. an pretium in totam rem constitutum sit, & erit emptio, licet etiam pæcum de danda re adjetum sit, v. g. pro domo tua tibi 100. Imp. dabo, & pratum: an autem pretium in partem rei constitutum sit, & erit contractus innominatus: v. g. pro domo tua tibi 100. Imp. & pratum dabo.

Quæres: quid interfit, an contractus aliquis sit emptio-venditio, an verò contractus innominatus? Resp. 1. quia de jure Romano in contractu innominato ante implementum datur locus poenitentiae, secus ac in emptione-venditione. 2. Empatio est contractus bonæ fidei, contractus autem innominatus juxta aliquos sunt fricti juris. *Coccejus loc. cit.* . . . 3. In emptione locum habet retractus, ac

in contractu innominato non item &c.

¹⁵⁷⁵ Sequitur 9. Ad emptionis-venditionis perfectionem quoque exigi, ut pretium sit certum. L. 7. §. 1. ff. b. t ibique *Brunnew.* Ratio: quia cum emptio-venditio contineat mercis mensuram, hæc certa sit, oportet. Unde

¹⁵⁷⁶ Colliges: Valere emptionem: *Emo à te fundum Tusculanum tanti, quantum in arca habeo.* Vitria. ad Inst. b. t. §. 16. Ratio est: quia hoc casu pretium certum est, non quidem respectu contrahentium, sed in re per relationem ad locum, quod sufficit. *Brunnem. ad cit. L. 7.*

¹⁵⁷⁷ Sequitur 10. Pretium deberre esse justum, atque æquivalens rei venditæ, Ratio est: eò quod pretium sit mercis mensura, jam autem mensura mensurato æquivalere debet. Quod tamen ita capiendum est, non quasi qualibet inæqualitas emptionem destrueret, sed tantum illa, quæ est ultrâ diuidum iusti pretii. *Vitria loc. cit. §. 18.*

¹⁵⁷⁸ Sequitur 11. Ad emptionis consummationem requiri, ut merx emptori tradatur, hoc

est: ut vacua eidem possessio aut licere habere præstetur, non autem ut merx detur, seu dominium ejus transferatur. *Harprecht h. t. n. 29. in pr. tit.* Ratio est: quia facta traditione emptor constituitur in usuapiendi conditione, & jus fructus percipiendi acquirit, de quo actum est inter partes, non autem de dominii translatione.

¹⁵⁷⁹ Sequitur 12. Ad consummationem emptionis-venditionis requiri, ut pretium detur, hoc est: ejus dominium transferatur. *Harprecht. loc. cit. num. 72.* Ratio diversitatis est: quia pretii non dati nullus est usus, at merx duntaxat tradita usum emptori præstat, quod partes intendisse censemur.

C O R O L L A R I A

De emptione & venditione.

Primum: Emptione - venditione ad determinatam & expressam mensuram celebratā, si major rei quantitas reperiatur, quod excedit, commodo venditori est, & quod deest, ejusdem damno cedit. *Mull. ad Struv.*

Struv. de contrah. empt. th. 12.

lit. A. Ratio est: quia partes mensuram non aliter quam re strictim expressisse censentur.

1581 Secundum: Emptione tantum ad corpus celebrata, quantitate licet adiecta, si demonstratiois gratia apposita inveniatur, major & minor quantitas reper ta commodo, & damno est emptori. *Mull. ad Struv. th. 13.*
lit. B. Ratio: quia hoc casu principaliter corpus, & quantitas non limitativa, sed demonstrati vè vendita est.

1582 Tertium: Spectanda est men sura loci, aut que est in loco rei sitæ, aut ubi merx est tradenda, non loci contractus. *Lauterb. de contrah. empt. th. 34.* Ratio est: quia sicuti contractus quod ad perfectionem subjicitur legibus loci, ubi erigitur, ita quod ad consummationem ad locum hu jus est respiciendum.

1583 Quartum: Pretium quoque certum esse, quod in tertii certi arbitrii est collatum, & eo casu venditio sub conditione censetur celebrata. *Lauterb. b. t. §. 51.* Ratio est: quia pretium determinatum esse, aut proxime per tertium certum deter minabile, paria sunt.

5tum: Contractum emptio 1584

nisi venditionis perfectum esse, simul atque de pretio & merce conventum est, supra quidem dixi, at, quemadmodum non consummatur, nisi per pretiationem, ita neque dominium rei venditæ transit, nisi pretium datum, aut faktem fides de eo habita sit. *§. 41. Inst. de rer. divis.* Ratio est: quia in tradente sub est illa tacita conditio, ut pretium numeretur, cui renun tiare videtur, si fidem de pretio habeat. *Strick. in U. M. b. t. §. 13.*

6tum: Sicuti vendor lœsus 1585

est ultra dimidium, & eo casu habet remedium *L 2. C. de re scind. vend.* quo non recepit di midium mercis, v.g. si pro re valente 10. non receperit quin que, ita pariter emptor lœsus est ultra dimidium, si pro re valente 10. dederit ultra viginti. *Boehm. ad ff. de rescind. vend. n. 5.*

7tum: Dominium immo bilium vendorum in Electo ratu Coloniensi non transit, nisi facta judicio insinuatione, & vendoris ex- & emptoris ad heredatione. *Statut. Elect. Co lon tit. 12. §. 1.*

8tum:

1587 8vum: In Electoratu Trevirensi fructus stantes non aliter emi possunt, quam pretio circa Martini curiuro. Statut. Trevir. tit. 18. §. 8.

1588 9num: Conjux in Electoratu Colonensi neque illata, neque acquisita potest sine consensu confortis vendere aut alienare. Statut. loc. cit. §. 2.

1589 10num: Maritus in ducatis Julius & Montium bona, stante matrimonio quæsita, validè non alienat. Melchior Voets in hist. jur. Jul. n. 164.

1590 11num: Clericis in iisdem ducatis non permittitur bona parentalia & per hæreditariam successionem devoluta vendere. Statut. Jul. cap. 97. in f.

1591 12num: Maritus Leodensis, jure connubii bonorum uxorius dominus, ea, constante matrimonio, validè vendit, ipsa eriam invitâ, & dissentiente. Carolus de Mean in jus Leod. obs. 55. n. 25.

1592 13num: In Electoratu Marchiæ Brandenburgensis nobiles ad bona vendenda jure compellunt rusticos suos, si ea sibi habere velint. Joachimus Schopitz in consuet. Brandenb. p. 4. tit. 7. §. 2. n. 1.

14tum: Bona hæreditaria & 1593 redditus in civitate Agrippinensi manibus mortuis vendi nequeunt. Statut. civit. p. 2. f. 65. art. 1.

15tum: In Electoratu Trevi. 1594 rensi ex pretio, rei immobilis venditæ, debentur à tempore moræ usuræ, licet in stipulatiō nem non deductæ, debentur ex pretio mercium, infra semestre non soluto, debentur ex pretio esculentorum, præviâ interpolatione non liquidato. Statut. Trevir. tit. 14. §. 7. 8. 9.

16tum: Emptor anni reditūs in civitate Ubio-Agrippinensi à venditore censum conventū solvente nequit repetere pretium,

APPENDIX

*De secunda emptione venditione,
seu retractu gentilitio.*

COROLLARIA.

1num: Retractum bonorum 1596 immobiliū venditorum in Elec toratu Colonensi habent consanguinei usque ad decimum gradum inclusivè, à primò ac qui-

De emptione & venditione.

309

quirente descendentes , infra sex menses à die judicialis insinuationis , nisi sub hasta venierint . *Ord. Elect. Colon. tit. 15. §. 1. 2 & 7.*

1597 2dum : Retrahunt in ducatis Juliae & Montium proximiores , (descendentia à primo acquirente hic non requisitâ . *Melchior Voets in hist. jur. Jul. n. 173*) intranei infra sex menses , extranei & minorennes infra annum & diem , currentes à primo proclamate , ex tribus per tres dominicas continuas faciendis *Statut. Julian. cap. 48.*

1598 3tum : Hoceodem jure Julianensi retrahens ex linea , unde bona vendita provenerunt , præfertur consanguineis in æquali vel proximiiori gradu constitutis , qui non sunt ejusdem lineæ . *Melchior Voets in hist. juris Julian. n. 172.*

1599 4tum : Actio retractus in principatu Leodiensi durat anno , competens consanguineis etiam remotioribus à latere , à quo bona provenerunt . *Carolus de Mean in jus Leod. obs. 191 n. 4. & obs. 204. n. 5.* Fatale retrahendi in Electoratu Trevirensi est pro præsentibus tempus

quatuor mensium , (quolibet ad 30. dies computato) pro absentibus & minoribus duorum annorum , à die emptionis judicialiter insinuatæ , solâ pretii verbali oblatione sufficiente , depositione non requisitâ . *Statut. Trevir. tit. 20 §. 114.*

5tum : Civitas Agrippinen-
sis non agnoscit retractum gen-
tilium , ibi consuetudine de-
ficiente . 1600

TITULUS XXV.

De locatione conductione.

Altera contractuum consen-
tualium species est locatio con-
ductio , hinc *contractus consen-
tualis de usu rei* , vel operâ pro
certâ mercede alteri præstanta .
Ita ferè Harprecht ad Inst. h.t.n. 3.
Ratio , quare sit contractus con-
tentualis , est , quia simul atque
partes aut de usu rei , aut de
operis præstandis , & tunc de
certa mercede solvenda conve-
nerunt , locatio conductio est
inita , licet à neutra parte quid-
quam præstitum sit . Unde

Deducitur 1. Quod posito
prædicto consensu locatio - con-
du-

Ss

ductio sit perfecta, adeoque inde fluant omnes contractus perfecti effectus *Manz. ad Inst. b.t. in pr. n. 2.* Ratio est: quia causâ necessariâ perfectè positâ ponitur etiam effectus inde necessariò fluens.

3603 Deducitur 2. Quod, quando Doctores tria ad locationis substantiam seu perfectionem requirunt, nempe: consensum, mercedem certam, & rem, quae locatur: hoc cum grano salis accipiendo sit, nim. minimè desiderari ut merces solvatur, usus rei, aut opera auctu præstentur, sed quod de his præstandis consentire necesse sit. *Harprecht loc. cit. num. 12.* Ratio est: quia hoc consensu, relato ad mercedem, usum rei, aut operas, posito ponitur locationis conductionis forma.

3604 Deducitur 3. Locationem conductionem aliam esse *operarum*, aliam *rerum*, illa est, quâ convenitur ut alter operam suam in re (v.g. ut tabulam pingat &c.) aut in personâ (exemplum est in nautis, aurigis &c.) præstet. Hæc autem est, si res v. g. domus, fundus &c. alterius usui erga mercedem detur.

Quæres: *Quomodo dux ista 1605 locationum species in effectu differant?* Respondeo in sequentibus, 1^o quod in locatione operarum quandoque major præstanta sit diligentia, ac in locatione rerum. *L. 13. §. 5. ff. b.t. 2d* quod operis duobus locatis anteriori primùm sit satisfaciendum. *L. 26. b.t.* at re locata is præfertur, cui prius est tradita. *Arg. L. 15. C. de R. V. Boehm. ad ff. b.t. num. 2.*

Deducitur 4. Locationem in 1606 hoc differre à contractu emptiōnis, quod in conductione rerum partes agant de habendo illarum usu, at emptor insuper intendat vacuam rei possessiōnem, seu, ut ipsi præstetur licere, habere; Ratio est: quia emptor, secus ac conductor, intendit dominium rei acquirere.

Deducitur 5. Consensum in 1607 certam mercedem (& usum rei, aut operarum præstationem) requiri & sufficere ad locationis perfectionem, non autem mercedis præstationem, utpote quæ ad ejus tantum consummationem est necessaria.

Deducitur 6. Quod (cūm 1608 mer-

merces in rigorosa sua acceptio-
ne denotet pecuniam numera-
tam, quā usus rei, aut ierso-
narum operæ, locari solitæ,
æstimantur: *Muller ad Struv.*

b.t. th. 5. lit. A.) regulariter in
nummis consistere debeat. *Coc-
cejus in jur. const. b.t. q. 10.* eò
quòd sola pecunia sit res æsti-
mans, cui soli inest certitudo.

1629 At dubium est: an nulla loca-
tio conductionis absque pecunia
numerata celebrari valeat? Re-
spondeo: Locatio fructuum
quoque in certa fructuum quan-
titate consistere potest, licet lo-
cacio operarum aut usus requi-
rat mercedem in pecunia nume-
rata consistentem per *L. si olei*
21. C. h.t. Brunnem. ibid. Ra-
tionem dat *laud. Coccejus* eò
quòd illo casu fructus multò
melius certam quantitatem defi-
niant, quām pecunia, utpote
cujus valor variat.

1630 Deducitur 7. Siquis cum au-
rififice convenerit, ut ex auro
dantis proprio erga certam mer-
cedem annulos conficeret, esse
locationem, conductionem ope-
rarum §. 4. *Inst. h.t. Struv.*
Exercit. 24. th. 8. ibique *Mull.*
Ratio est: quia eo casu omnia

locationis conductionis requisita
adessent; cùm econtra, si con-
venerit, ut ex aurifabri auro
annuli conficerentur, emptio
sit & venditio.

Locatio conductionis alia est ex- 1612
pressa, alia tacita. *Illa* est, quæ
fit expresso, & *Hæc*, quæ taci-
to consensu fit. Exemplum dat
Hahn ad Wesenb. b.t. n. 4. inf.
siquis domino sciente & paciente
inhabitetur ades, & ex illis sin-
gulis annis præster pensionem,
aut si lege publicâ certa merces
esset definita, ut putat *Lauterb.*
b.t. §. 8. Ratio est: quia eadem
regulariter est vis taciti, quæ
est expressi, per consequens
sicuti expresso, ita tacito con-
sensu locatio iniri potest.

Locatio conductionis semel con- 1612
tracta sœpe tacitè renovatur,
nempe si conductor tempore
locationis conductionis finito
sciente & paciente locatore in
prædio conducto non modico
tempore permaneat. *L. 13. §.
ult. ff. locat. cond. Mantica de tac.*
& amb. convent. lib. 5. tit. 15.
num. 17. Ratio est: quia con-
ductor prædio utendo, & lo-
cator finito tempore usum non

revocando contractum tacite
renovasse censetur.

1613 At dubitabis: ad quantum
temporis spatium tacita reloca-
tio extendatur, si expressa facta
fuerit ad lustrum? Respondet
JCus in cit. l. 13. §. f. b. t. in
prædiis rusticis (qualia hic di-
cuntur ab usu rustico) tacitam
relocationem ad annum usque
extendi, & restringi, licet ex-
pressa locatio ad lustrum facta
reperiatur. Ratio est: quia ex
his prædiis singulis annis regu-
lariter fructus percipiuntur.
Lauterb. b. t. §. 9.

1614 Dixi: *In rusticis*: nam in
urbanis (qualia hic pariter di-
cuntur, quæ ad usum urbanum
v. g. habitationis, mercatu-
ræ &c. sunt exstructa) tacita
relocatio quovis momento re-
gulariter exspirat d. l. 13. §. fin.
b. t. Ratio est: quia in prædiis
urbanis regulariter fructus sin-
gulis momentis percipiuntur.
Vid. Brunnem. ad cit. L. 13.

1615 Dixi: *Regulariter*, nam no-
nat *Lauterb. b. t. §. 10. post variros*
allegatos, quod tacita prædii ur-
bani relocatio ad annum se ex-
tendat casu, quo fructus sin-
gulis anni temporibus non per-

cipiuntur uniformiter, sed præ-
cipui v. g. nundinarum tem-
pore. Ratio est: quia eo casu
fructus, mercedi proportionati
singulis momentis non perci-
piuntur, quæ est restringendæ,
aut extendendæ tacitæ reloca-
tionis ratio. Ex quibus

Colliges: quod, ubi fructus 1616
nōnnisi singulis bienniis, trien-
niis, aut quadrienniis &c. perci-
perentur, ibi quoque tacita
relocatio ad biennium, trien-
nium, aut quadriennium ex-
tendatur. Ita Anton. Faber. ad
cit. L. 13. §. fin b t lit. D. in fine,
ubi dicit, quod aliás conductor
deciperetur, si ex tali prædio
uno anno fabæ, & alio frumen-
tum perciperetur. Ad stipula-
tur Card. Mantica de tacit. Et
ambig. convent. lib. 5. tit. 15. n. 6.
subscribit L. B. de Lyncker in resp.
67. n. 8. ubi ait, quod hinc in
iis locis prædia non soleant uno
anno, sed de biennio in bien-
nium &c. conduci. Proinde pu-
tarem. L. 13. cit. de felici solo
Italiæ loqui.

Finitur locatio post lapsum 1617
temporis. Arg. L. 13. §. fin. ff.
b. t. Ratio est: quia quæ ad tem-
pus placuerunt, eo lapso ligare
desi-

desinunt, nisi justæ & legitimæ causæ subsint, quas in compendio enumero.

1618 **1ma** est: Si Conductor mercem annuatim solvendam non præstet infra biennium. *L. Aede 3. C. b. t.* Ratio est: quia ita partes tacitè convenisse, est præsumendum. *Brunnem. ad cit. L. 3.* cuius decisio clarior habetur in *L. 54. S. I. b. t.*

1619 **2da** est: Si locator domo ob supervenientem inopinatam necessitatem ipse pro se aut pro suis indigeat. *d. L. 3. C. b. t.* Ratio est: quia Jus præsumit locatorem hanc tacitam conditionem in contractu subintellexisse.

1620 **3ta** est: Si domus indigeat necessariâ reparatione. *d. L. 3. nam ob utilem refectionem, & quæ fieri posset inquilino inhabitante, expelli non posset conductor.* *Brunnem. ad cit. L. 3.*

1621 **4ta** est: Si conductor re conductor notabiliter malè utatur, vel physicè vel moraliter. *d. L. 3. ibique Brunnem.* Adeò ut tenetur locatori ad interesse. *Lau- terb. C. b. t. s. 48.*

* * *

COROLLARIA

De locatione-conductione.

1mum: Principium: *Emp 1622 tio prævalet conductioni: vi cu-*
jus emptor conductorem non
dum elapsis annis locationis ex-
pellere potest, ita in praxi in-
valuit, ut de ejus veritate du-
bitarnequeat. *Strick in U. M.*
b. 4. §. 81.

2dum: In terris, ubi de *1623*
more dimidia, aut tertia, aut
quarta pars agri conducti singu-
lis annis inculta relinquitur, ta-
citam relocationem anno non
finiri, sed aut ad biennium, tri-
aut quadriennium de praxi ex-
tendi, testis est laud. *Strick. de u.*
m. s. 43.

3tum: Erroneam esse Do *1624*
ctorum sententiam, existimam-
tum: tacitam relocationem
prædiorum urbanorum non ex-
spirare quolibet momento, si
in locatione foret tempus per
scripturam expressum, prout
videtur velle insinuare. *L 13. s.*
fin ff. h. t. Etenim hæc lex ca-
pienda est in isto casu, quo tem-
pus est expressum in prima lo-
catione,

catione, in quod nulla denuntiatione factâ elocatio debeat continvari, prout textum explicat Coccejus b. t. q. 3. quod firmat Strick. in u. m. §. 71.

1625 4tum: Conductor rei præstat culpam veram & præsumptam, argumento eorum, que dixi supra de præstationibus culparum, nec non medium negligentiam L. 5. §. 2. ff. commod. Coccejus in disp. Curios. tr. 4. disp. 3. th. 25. Ratio est: quia & conductor & locator auctores sunt hujus negotii.

1626 Exceptio est in conductore earum rerum, quæ singularem curam, & diligentiam requirunt, ut vestimentorum & ju-
mentorum, eo enim casu con-
ductor teneretur ex minima ne-
gligentia. Prout decidit Imp. in
§. 5. Inst. b. t. Ratio est: quia eo
casu centetur exactissimam dili-
gentiam appromisisse.

1627 5tum: Locator operarum præstat quoque negligentiam minimam L. 8. §. 1. ff. ad L. Aquil. Ratio est: quia cum talis peritiam profiteatur, tacitè ad exactissimam diligentiam sese obligasse existimandus est.

1628 6tum: Casum ex vitio operæ

consurgentem præstat locator operarum, quia harum auctor est; at vitium rei præstat conductor, quia in hoc casu locatori nihil imputari potest. Coccejus. b. t. q. 23.

7num: Vestigal ex condu-
etione (Pachta vulgo) in Elec-
toratu Coloniensi ob sterilitatem,
aut tempestatem non remittitur,
damno ante messem non inspecto. Ordinat. Elect. Co-
lon. tit. 14. §. 2.

8vum: Ortâ in puncto con-
troversiâ locatori debetur una
medietas frugum solidarum (de-
ducto dimidio expensarum) &
avenæ tertia. Ordinat Elect. Co-
lon. tit. 14. §. 2.

9num: Locatio - conductio in eodem Electoratu non subsi-
stit nisi ad duodecim annos. Or-
dinat loc. cit. §. 9.

10num: Conductor suâ cul-
pâ annis conductionis cadens in
ducatibus Juliæ & Montium
non consequitur meliorationes,
salvis iis, quibus nondum frui-
tus est. Statut. Julian. cap. 106.

11num: In his ducatibus locatio conductio contrahi po-
test ad 30. annos, salvâ facultate
deci-

decimo quinto renuntiandi.
Statut. loc. cit. in fin.

1634 12mum: Tacita relocatio
Leodiensis regulariter censetur
ad triennium facta. *Carolus de
Mean ius Leod. obs. 271. n. 2.*

1635 13tium: Moribus Agrippi-
nensium prædia urbana ad an-
num tacitè reconducuntur.

1636 14tum: Principium: *Emp-
tio prævalet conductioni; in Ele-
ctoratu Trevirensi fallit, si con-
ductio ad decem vel plures an-
nos sit contracta, aut si emptor
tacuerit, & vectigal semel tan-
tum acceptaverit.* *Statut. Tre-
vir. tit. 19. §. 4. & 6.*

A P P E N D I X.

De emphyteusi.

1637 Tertia species contraetuum
consensualium est emphyteuti-
cus, seu consensualis de conce-
dendo rei immobilis utili dominio
sub conditione meliorationis, &
præstandi canonis in dominii su-
perioris recognitionem. *Vitriar.
b. n. 22.* Est autem contraetus
consensualis, quia perficitur
solo contrahentium consensu,
licet nec res nec literæ interve-

niant. Non obstante Nov. 7 in
præfat. §. 1. quia ipsa tractat de
perpetua emphyteusi Ecclesias-
tica. Unde

Colligitur 1. Materiam hujus 1638
contraetus esse solas res immo-
biles. *Widmond. ad ff. si ager
vectig. n. 11.* Ratio est: quia hæ
solæ propriè meliorantur, per
consequens aliarum rerum pro-
pria emphyteusis constituit ne-
quit.

Colligitur 2. In emphyteu- 1639
tam transferri utile rei emphy-
teuticae dominium, hoc est: jus
plenissimum re utendi fruendi,
& super ipsa proprietate aliquo
modo disponendi, nam cum
sic emphyteuta aliquid de pro-
prietate participet, consequi-
tur utile dominium, quam rem
magistraliter explicat *Siruv.
Exerc. 11. th. 55.*

Colligitur 3. Quod emphy- 1640
teuta, si originem hujus con-
traetus inspiciamus, meliorare
debuerit prædium emphyteu-
ticum, eò quod sterile duntaxat
in emphyteusin concedisoleret,
at hodie saltem colere tenetur,
erga quod onus jure re plenissi-
mè utendi fruendi potitur.
Widmond. ad ff. loc. cit. n. 11.

Colli-

¹⁶⁴¹ Colligitur 4. Ab emphyteuta præstandum esse canonem seu pensionem aliquam eo fine, ut alius quā fundi emphyteutici dominus superior recognoscatur. Ratio est: quia, cūm concedens emphyteus in abdicatione plenissimum jus percipiendorum fructuum, canon est præstandus.

¹⁶⁴² Colligitur 5. Emphyteutam teneri per canonis præstationem ad recognoscendum dominium direclum & superius (quod est proprietas ita resticta, ut alter præter plenissimum jus fructuum percipiendorum quoque habeat facultatem de re aliquo modo disponendi) Ratio est: quia concedens à se plenissimè abdicavit jus fructus percipiendi, non autem omnem proprietatem, hinc remanens apud concedentem proprietas per canonis præstationem est recognoscenda.

¹⁶⁴³ Quares: Quid intersit inter canonem in emphyteusi, & mercedem in locatione conductione? Respondeo 1. quod merces in locatione conductione in compensationem fructuum detur, & hinc ferè sit

fructibus percipiendis proportionata; at canon cum solummodo detur in recognitionem dominii directi, modicus quandoque absque proportione ad fructus præstetur. Unde

Inferes: cum Lauterb. ad ff. ¹⁶⁴⁴ si ager vectigalis Et. §. 9. ex Alvar. Valase. quod in dubio, quando promissa pensio fructibus respondet, contractus magis locatio conductio censeatur, cūm econtra ex modica magis emphyteusis iudicetur. Ratio est: quia in dubio mentem contrahentium ex actis qualitatibus, magis uni, quam alteri correspondentibus, deprehendimus.

Respondeo 2. Canon non remittitur, licet etiam magna exoriatur sterilitas. Carpz. p. 2. const. 38. def. 22. cūm contra pensio in locatione conductione ob sterilitatem conductori remittenda sit. L. 15. s. 2. Locat. Conduct. Ratio est: quia non canon, sed pensio pro fructuum perceptione præstatur.

Exspirat emphyteusis ¹⁶⁴⁵ imd: totali rei emphyteuticae interitu. Voet. ad ff. si ager vectig. Et. p. 12. add: præscriptione dominii directi,

directi, vel utilis, non tamen per solam omissam canonis solutionem. *Boehm. ad ff. si ager ve-
tig. &c. §. 14.* intellige: quod emphyteuta prætendere nequeat, dominio directo præscriptum esse, licet etiam canon per 30. annos non foret exactus. *3tiò* emphyteuta utile dominium amittit, si in emphyteusi ecclesiastica per biennium, & in sæculari per triennium canone non solverit. *L. 2. C. b. t. laud. Boehm.* Ratio est: quia hoc casu dominium directum quasi diffiteri censemur, modò justa causa cesseret, & dominus se statim declararet.

COROLLARIA

De contractu emphyteutico.

1647 **I**mum: Contractum emphyteuticum esse contractum bona fidei, non stricti juris. Ita *Coccejus in Jure controv. si ager ve-
tig. q. 4.* Ratio mihi videtur esse, quod nunquam fuerit contractus formalarius, qualem duntaxat dixi esse stricti Juris. Non obstante: quod in §. 28 *Inst. de act.* non continetur

actio ex hoc contractu descendens. Etenim in d. §. omnes non sunt enumeratae, uti patet in funeraria.

2dum: Scripturam non requiri ad contractus emphyteutici substantiam, sed tantummodò ad probationem. *Struv. Exercit. 24. th. 31.* ibique Muller. *lit. D.* Ratio est: quia refertur inter contractus consensuales, qui solo consensu perficiuntur. Non refragante: quod in *L. 1. C. de Jure Emphyteut. & aliis textibus* scriptura exigatur; Nam hoc ideo est, ut si emphyteusis perpetua concedatur, hæc probari possit.

3tiùm: Dominus canonem recipiendo præjudicat juri suo caducitatis. *Carpz. p. 2. const. 38. def. 7.* Ratio est: quia jus commissi est poena, cui ob poenarum odium facillimè renuntiare quis præsumitur.

4tum: Probabilior est de praxi sententia, quod si unus ex pluribus heredibus suam canonis ratam non solverit, emphyteusis non tota committatur, sed tantum rata. *Mantica de tacit. & ambig. convent. lib. 22 tit. 26. n. 16.* Ratio est: eò quod æqui-

tati repugnet, alteri per alterum posse iniquam conditionem inferri.

1651 5tum: Emphyteusis caducatur, si emphyteuta venditionem plenè consummaverit. *Voet. ad ff. si ager vectig. Et c. s. 23.* Ratio est: quia eo casu emphyteuta quasi negasse censemur directum dominium.

1652 6tum: Sententia DDrum: ex uniformi vectigalis per longissimum tempus facta præstatione præsumi emphyteusin; in Eleitoratu Coloniensi non procedit. *Ordinat. Elect. Colon. tit. 14. s. 9.*

1653 7tum: Emphyteuta, prædium sine consensu domini alienans, amittit in ducatis Juliæ & Montium emphyteusin & omnes meliorationes. *Statut. Juliac. cap. 106. s. 2.*

1654 8tum: In principatu Leodiensi saltem, ex locatione centum annorum ad emphyteusin concludi nequit. *Carolus de Mean in jus Leod. obs. 208. n. 4.* Concordat ferè *Statut. Trevir. tit. 19. s. 8.*



TITULUS XXVI.

De societate.

Quarta species contractuum **1655** consensualium est societas seu *contractus consensualis de operis, vel rebus, vel utrisque lucri & damni communicandi animo conferendis.* Harprecht. *b. t. n. 1.* Dicitur hic *contractus* etiam *consensualis*, eò quod solo consensu perficiatur, consummetur autem aut per operarum præstationem, aut per rerum illationem. Ex quibus

Sequitur 1. Societatem iniri **1656** posse 1 modo ut uterque operas lucrcausā conferat. *L. 71. in pr. ff. b. t. v. g.* duo societatem iniverunt, ut jurisprudentiam docerent. Ratio: quia ex mutua operarum collatione quoque quæstus haberi & communicari potest, in quo consistit societatis finis.

Sequitur 2. Societatem contrahi posse 2 modo ut uterque res lucri gratiā inferat. *Muller. ad Struv. 22. th. 19. lit. G. v. g.* ut unus mille inferat, & alter mille, aut quingentos. Ratio pater ex-

ex dictis, eò quodd etiam hoc casu obtineatur societatis finis, seu lucri communicatio.

1658 Sequitur 3. Societatem quoque 3tiò ita celebrari posse, ut unus operas, alter rem communis lucri ergò conferat. § 2. *Inst. h. t.* nec non *L. 1. C. h. t.* Brunnem. *ibidem n. 1. v. g.* si tu inferas pecuniam in societatem, cum pictore eo fine initam, ut hic picturas conficiat. *Ratio-* *nen* dat *Imp. d. S. 27. Inst. h. t.* quia opera quandoque pluris estimatur, quam pecunia.

1659 Sequitur 4. In omni societate requiri subjectum communicativum lucri, id est: rem aut factum tale, unde lucrum redigi possit. *Muller. ad Struv. d. Exerc. 22. th. 25. lit. B.* *Ratio* est: quia omnis societatis finis est lucri, & quæstus communicatio.

1660 Sequitur 4. Damnum quoque in societate communicandum esse, licet partes de eo nihil dixerint, neque cogitaverint. *Christin. vol. 3. decis. 31. n. 2.* *Ratio* est: quia qui lucrum habet, quoque damnum sentire debet, ne inter contrahentes oriatur inæqualitas.

Sequitur 6. Hoc in societate 1661 regulariter agi, ut res aut opera conferantur. *Struv. d. Exercit. 22. th. 23.* licet præcisè ad collationem quis constringi nequeat; sed si conventis stare nolit, ad interesse obligetur. *laud. Struv.* Ratio est fortè, quod societas sit mater discordiarum.

Societas dividitur in *univer-* **1662** *salem, & particularem:* Illa est aut *omnium bonorum*, seu societas de universis bonis tam habitis, quam quomodo cunque acquirendis communicandis. *L. 3. S. 1 ff. h. t.* aut *bonorum simpliciter*, sive societas de universis acquæstibus communicandis. *L. 7. h. t.* Hæc, seu *particularis* est societas de certis rebus communicandis.

Societas universalis omnium **1663** *bonorum* hæc habet *specialia*, unum est: quod omnia honestè acquisita, etiam hereditates & legata. *L. 73. pr. h. t.* *Michal. de bratrib. p. 2. cap. 22.* imò fructus feudorum & fideicommissorum &c. *Struv. Exerc. 22. th. 26.* sint conferenda. *Ratio* est: quod hæc societas quoque complectatur bona futura, quo-

rum nomine præmissa venire, dubium non est.

1664 Alterum societatis universalis omnium bonorum speciale est: quod omnia, quæcunque erogantur, huic societati imputentur. L. 73. ff. b. t. Hinc etiam illa, quæ in liberorum honorem, studia, alimenta &c. impenduntur, quoque alteri socio, inæqualitate inde oriturâ non attenâ, sunt oneri. Lauterb. b. t. ib. 3. Ratio est: quia cùm ad alterum socium quæcunque quærenda pertineant, iniquum non est, ut eidem quoque impensæ imponantur.

1665 Tertium societatis universalis omnium bonorum speciale est: quod omnia bona alteri socio illicò communicentur absque vera traditione. L. 1. s. 1. b. t. Boehm. ad ff. b. t. n. 3. Ratio est: quia cùm omnium bonorum non ita facilis sit traditio, hinc lex eandem supplet, illámque intervenisse fingit.

1666 Societas bonorum simpliciter operatur dntaxat acquæstuum communionem. L. 7. ff. b. t. Struv. d. Exercit. 22. th. 28. unde notat Muller. ad Struv. loc. cit. lit. A. in hac societate earum

expensarum dntaxat haberi rationem, quæ ipsam societatem respiciunt.

Societas particularis tamen 1667 non operatur universorum acquæstuum, sed lucri dntaxat communionem, quod ratione certæ negotiationis, aut rei, de qua societas inita est, obvenit. Struv. d. Exercit. 22. §. 28. Ratio: quia de hoc solo lucro comunicando partes egerunt.

At quæres 1. An societas ope- 1668 retur quoque damni communio- nem? Resp. imò verò, pro- ut deciditur in L. 29. in f. ff. pro socio. licet etiam de communica- cando damno partes nihil ege- rint, imò nequidem cogitave- rent. Muller. ad Struv. d. Exercit. 22. th. 25. lit. B. Ratio; quia iniquissimum foret societatis genus, ut quis de lucro quid- quam participet, & de damno nihil ferat.

Quæres 2. Quomodò lucrum 1669 & damnum sit communican- dum? Resp. 1. Si partes desuper paœta adjecerint, societatis naturæ non contraria, puta: ut unus in casu majoris periculi suscipiendi, aut excellentiorum ope- rarum præstandarum, plus lucri repor-

reportet, & minus damni ferat &c. illis indubie standum est. L. 29. in pr. pro socio. Ratio: quia eo casu tantum est inæqualitas apparet.

1670 Dux: Pacta naturæ societatis non contraria servanda esse: si quidem pacta, ut supposita fortis æqualitate partes lucri & danni sint inæquales, aut, ut supposita inæqualitate sint æquales, aut, ut aliae sint partes lucri, aliae partes danni &c. societati adjecta non tenent. Muller. ad Struv. d. Exercit. 22. §. 31. lit. E.

1671 Respondeo 2. Nullo super partibus, aut invalido, & societati contrario pacto adjecto, partes sunt faciendæ æquales, non juxta arithmeticam, sed suo modo geometricam proportionem. Carpz. p. 2. const. 30. def. 38. v.g. tu intulisti 100. ego quinquaginta, lucrati sumus quindecim, tu ex illis quindecim habebis decem, ego quinque.

1672 At dubium est: quomodo damnum in hac particulari societate communicetur? ad quod Resp. de damno fortis pecuniariae utrumque illatæ sic est habendum 1mō: Si fortis ipsæ,

aut tacite aut expresse sint communicatae quo ad proprietatem v.g. si voluntate utriusque socii sint commixtae, damnum fortium est commune. Ratio est: quia cum hoc casu uterque sit fortis dominus, haec perit utrique ex regula: res perit suo domino. L. 9. C. de pignorat. act.

2dō: Si fortis tantum sint 1673 communicatae quo ad usum, non autem quo ad proprietatem, damnum fortis non est commune, sed ad alterum socium pertinet. Ratio denuo stat in regula: res quilibet perit suo domino. d. L. 9. C. de pignorat. action. Boehm. ad ff. pro socio. §. 9.

3tiō: Damnum usus tamen, 1674 licet propriè damnum non sit, etiam hoc ultimo casu est commune. Ratio est: quia hoc inter partes actum est, aut actum præsumitur.

Sed majus est dubium: Si ab 1675 uno pecunia, atque ab altero operæ conferantur, an damnum operarum sit commune? ad quod Resp. 1mō: Si operæ dominio pecuniæ æquivalentes ab uno fuerint collatae, & damnum pecuniæ & damnum operarum est commune. Ita Franz. ad Inst.

de Societ. n. 13. post Molinam, Lesfium, Haunoldum, Lauterb. Grotium & alios. Ratio est: quia eo casu & pecuniæ & operarum in manu massa quasi collatum dominium ex tacita partium mente utriusque socio fit commune, ergo talis massa pertinet utriusque.

1676 2dō: Si autem operæ, usi-
tantum pecuniæ corresponden-
tes, ab uno fuerint collatæ, nec
damnum pecuniæ nec opera-
rum est commune. Ita ferè
Franz. loc. cit. Ratio est: quia
hoc casu nec dominium pecu-
niæ, nec operarum communi-
catur, cum præsumendum non
sit partes voluisse dominium
fortium in æqualium communi-
care, sed tantum lucrum inde
redigendum.

1677 Quæres denique: cum dam-
num culpæ alterius socii datum
non imputetur societati, sed
socio, quæ culpa hinc præ-
stetur? Præsuppositis iis, quæ
docui. Respondeo: culpa à
socio præstanda ratione for-
mæ est lata, uti vocant, at
ratione effectus est levis. Cocce-
jus in Jure controv. pro socio. q.
13. Ratio prioris est: quia s. q..

cius non gerit res simpliciter alienas, sed proprias suo modo, per consequens, jus Civile remisit eidem rigorem naturalem & obligationem adhibendi diligenter exactam prout colligitur ex L. 23. ff. de R. f.

Ratio posterioris est: quia magna negligentia minùs imputatur socio, quam extraneo, quia ille suo modo administrat res proprias, ergo magna negligentia hinc dolo non æquiparatur, ergo hæc in casu non habet suum effe-
ctum.

Petes: quâ ratione negligen-
tia à socio præstanta possit dici
culpa ratione formæ? Respon-
deo, rationem esse, quia culpa
à socio præstanda secundum se
spectata vel propositum præ-
sumptum, puta: quando so-
cius circa rerum communium
administrationem hoc non in-
telligit, quod omnes intelli-
gunt, vel propositum verum in-
volvit, nim. quando socius ne-
gligentius res communes, &
hinc simul res socii curat, ac
simpliciter proprias.

At dubitabis: in quo ergo
consistat effectus culpæ, ut di-
cunt,

dicunt, latæ? Respondeo: quod dolo æquiparetur, & consurgat obligatio non tantum damnum illatum reparandi, verum, etiam præstandi alteri, quanti ipsius interest; & cum socius hoc interesse non præstet, magna negligentia, ab ipso præstanta, non habet effectum culpæ nec veræ, nec præsumptæ.

1681 Colliges: Magnam negligentiam à socio præstandam habere tantum effectum *culpæ levæ*, uti appellant, hoc est: socium tantum generat ad damni reparationem, non autem ad præstandum alteri socio id, quanti ipsius interest. Confer. *Henricus Coccejus in Disputat. Curios. disp. 2. assert. 2.* & 3. nec non in *Collat. ad Struv. collat. 7.*

1682 Societas finitur 1mō renuntiatione vel expressâ vel tacitâ, etiam unius. *L. 63. §. 10. ff. b. t.* modò 1mō fiat bonâ fide *L. 65. §. 3. b. t.* 2dō tempestivè *d. L. 15. §. 5.* 3tō præsenti. Arg *L. 17. §. 1. b. t.*

1683 Finitur 2dō morte naturali, & civili. *d. L. 63. §. 10.* ita, ut nequidem quoad hæredes du-

ret. *L. 52. §. 9. b. t.* 3tō amis-
sione rerum; *d. L. 63. §. 10.*
4tō finito negotio. *d. L. 65. §.*
10.... 5tō tempore præter-
lapsi. *d. L. 65. §. 6. b. t.* vid.
vid. Boehm. *ad ff. b. t. §. 25.* &
seqq.

COROLLARIA.

1mūn: In dubio contra **1684** contraria. *In dubio contra* societate rerum & operarum di-
cendum est sortem tantum quo
ad usum esse communicatam.
Ratio est: quia ex natura socie-
tatis, si neque expressè neque
tacitè aliud actum appareat, res
& operæ tantum conferuntur
ad lucrum. *L. 58. in pr. ff. b. t.*
vid. *Coccejus in Jure controv. b. t.*
q. 6. non tamen per totum pro-
bandus.

2dūm: Collata ab uno socio **1685** pecuniâ, atque ab altero
operâ pictoriâ, pretium ex ven-
ditis picturis utriusque est com-
mune. Ratio est: quia in hoc
casu pecunia cum his operis, quæ
sorti regulariter sunt æquales,
est quasi in unam massam con-
fata.

324

Inst. Lib. 3. Tit. 26.
flata, ergo corpus est æqualiter
commune. Vid. n. 1439.

1686 *3tium*: Collatâ ab uno socio-
rum pecuniâ, & ab altero ope-
râ mercatoriâ, aut illatis ab uno
pecoribus, aut fundo, & ab
altero operâ pastorali, aut colo-
nariâ, dominio pecuniae, aut
rerum illatarum non æquiva-
lente, communicandus tantum
est quæstus ex hac societate re-
d. Etus. Muller. ad Struv. Exer-
cit. 22. th. 33. lit. T. Ratio est:
quia res & operæ in casu nequi-
dem ex tacita socrorum mente
confunduntur, ergo nulla for-
tium inducitur communio.

1687 *4tum*: Socius administrator
rerum communium non clausit
fenestras altiores, & ita res illæ
furto sunt ablatæ, non tenetur.
Ratio est: quia juxta dicta non
tenetur ad exactam diligentiam,
nam ob admixtionem rerum
propriarum lex Civilis hunc ri-
gorem naturalem mitigavit.

1688 *5tum*: Socius gestor nego-
tiorum communium omisit por-
tas domûs per noctem claudere,
atque ita his negotiis damnum
dedit, tenetur alteri socio. Ra-
tio est: quia per notata ad præ-
standam culpam obligatur.

6tum: Socius in casu tantum 1689
damnum reparat, non autem
interesse præstat. Ratio est:
quia culpa hic dolo non æqui-
paratur, uti in *L. Aquilia*.

APPENDIX

*De societate, aut communione
connubiali.*

COROLLARIA

1mum: In Electoratu Colo- 1690
nienſi casu non existentium li-
berorum, bona immobilia, stan-
te matrimonio quæsita, super-
stes consequitur quo ad unam
medietatem. Per Ord. Elect
Colon. tit. 8. § 4. Unde hoc
casu concluditur ad acquæ-
stuum in Electoratu societa-
tem connubialem.

2dum: Inveteratâ, & noto- 1691
riâ consuetudine in ducatis
Julia & Montium obtinet bo-
norum immobilia, stante
matrimonio quæsitorum, com-
munio. Melchior Voets in hist.
jur. Juliac. n. 92.

Intellige: Liberis non ex- 1692
tantibus. In extantes immobilia
stante

stante matrimonio quæsita, eo per mortem rupto, his in ducatis devolvuntur. *Ordinat. Julianac cap. 74.*

tulisset. *Statut. Civit. p. 1.*
art. 10.

1693 3tum: Jus connubii Leodiense omnia uxoris bona marito indistinctè transcritbit, novo acquirendi rerum dominia titulo. *Carolus de Mean in jus Leodiens. obs. 55. n. 4.* Salvo, quod mulier defuncto sive liberis viro succedat.

7mum: In hanc societatem 1697 veniunt acquæstus, stante matrimonio facti, veniunt mobilia, per successionem ad alterutrum conjugum devoluta, si fuerint illata.

1694 4tum: Marchia Brandenburgensis agnoscit societatem conjugalem omnium bonorum immobilium, & mobilium, licet alteruter conjugum nihil intulerit. *Joachimus Scheplitz in consuetud. Brandenb. p. 3. tit. 2. §. 5.6.*

8vum: Vir aut mulier habentes ex primo matrimonio liberos & ad alterum transeuntes, dote & donatione propter nuptias promissâ, non fruuntur lucro societatis connubialis ex primo.

1695 5tum: In societatem conjugalem Ubio - Agrippinensem incident immobilia, aut per simultaneam utriusque conjugis inscrinacionem aut per literas sigillatas communicata, secus non communicata. *Statutum Civit. Colon. p. 1. art. 11.*

9num: Hæreditas parentum 1699 mobilis in ultimâ superstitem, stante altero matrimonio devoluta, afficitur societati connubiali secundæ, si illata fuerit.

1696 6tum: In societatem connubialem Agrippinensem cadunt per ipsum matrimonii contractum omnia mobilia illata, licet alteruter conjugum minus in-

10mum: Societas connubialis Agrippinensis inter superstitem conjugem, & ejus liberos tacitè continuatur quo ad lucra, non quo ad onera, dissolubilis per inventarii confectionem.

TITULUS XXVII.

De mandato.

Quinta species contractuum 1700 consensualium est Mandatum,

Vv seu

Inst. Lib. 3. seu *contractus consensualis de negotio alterius honesto gratis, & ad mandantis præscriptum gerendo.* Ita Boehmer *ad ff. h.t. §. 1.* Itaque consensualis est hic contractus, cum solo consensu perficiatur, licet ad ejus consummationem necessaria quoque sit negotii alieni gestio. Unde

1702 Deducitur 1. Negotia futura tantum esse hujus contractus objectum. *L. 12. §. 14 ff. b.t.* Struv. *Exercit. 22. th. 5.* ibique Müller. Ratio est: quia contractus mandati introductus est, ut negotia nondum gesta expediantur.

1703 Deducitur 2. Negotia alterius gerenda suscipi, intellige, vel mandantis, vel tertii, vel utriusque. Franz. *ad Inst. h.t. §. 4. n. 5.* mandantis quidem, ut pro se spondeatur. *L. 2. §. 1. ff. b.t. tertii,* ut pro eo spondeatur. *d. L. 2. §. 2.* utriusque, ut negotium mandantis & tertii geratur. *d. L. 2. §. 3.* Ratio est: quia his solis casibus regulariter mandantis interest, cum periculum sustineat, quando autem mandantis nullâ ratione interest, mandatum non contrahitur: vid. Manz. *ad Inst. h.t. §. 3.*

Dixi: Regulariter: Nam li. 1704 ceter quoque negotium mandarii, nempe: ut hic pecuniam sub usuris credat; ipsi gerendum committi possit. *d. L. 2. §. ult.* attamen haec species mandatum non est, sed nudum potius consilium, ex quo nemo actione mandati obligatur. Franz. *ad Inst. h.t. loc. cit.* ubi tamen

Notandum est: obligatio *1705* nem induci 1. si alter consilium ad unius crebrioses instigaciones & preces secutus sit. Strick. *de caut. contract. sect. 2. cap. II. §. 17.* Ratio: quia tunis consulens censemur se voluisse obligare.

2dō: Si consilium processerit a perito in arte, & tamen imperitum sit. Boehm. *ad ff. h.t. §. 10.* Ratio est: quia in eo casu consulens fidem censemur tacite interclusisse.

3dō: Si consulens atit etiam commendans *1707* specialiter, consilio, aut commendationi suæ addiderit clausulam: *meo periculo:* Strick. *de periculo petent. cap. I. n. 51.* Ratio: quia hic periculum in se suscepit, utipatet, ergo se obligavit.

4dō: Si mercator consuluerit, *1708* aut

aut commendaverit. *Boehm. loc. cit. s. 11.* Rationem dat: quia mercatorum consilia & commendationes communiter fiunt ad fidem novo mercatori conciliandam. Vid. *Strick. in U.M. b.t. § 10.*

¹⁷⁰⁹ Deducitur 3. Negotia honesta tantum esse mandati objectum, turpum enim nulla est obligatio. *L. 6. s. 3. ff. b.t.* Unde fluit; neque mandantem mandatario teneri ad præstandam indemnitatem, neque hunc illi ad implendum mandatum, aut ob non secutum implementum ad interesse. *Franz. ad Inst. b.t. § 6.* ubi

¹⁷¹⁰ Observandum: Utrumque in casu delicti gravioris, aut ad poenam Reip. pendendam, aut damnum parti illatum reparandum (juxta principia infra de delictis danda) teneri. Prout probat *Franz. loc. cit.*

¹⁷¹¹ Deducitur 4. Mandatum esse contractum gratuitum, quia originem trahit ex amicitia. *L. 1. §. 4. b.t.* unde si merces intervenierit, erit vel locatio-conductio, vel contractus innominatus. *Franz. s. 7. b.t.* Inde

¹⁷¹² Infertur: Honorarium acce-

dere mandato posse. *L. 6. pr. b.t.* Ratio est: quia hoc non tanquam pretium impensi laboris, sed veluti remuneratio præstitæ amicitiae datur. *Franz. loc. cit.* Verum

Petes: Ex quo cognosci possit, honorarium esse, quod præstatur, an mercedem? Respondeo ex eo 1. si nulla inter id, quod præstatur, & operam præstata sit proportio. 2. si sponte facta sit oblatio, aut 3. indeterminata sit promissa remuneratio. *Boehm. b.t. ad ff. s. 12.*

Instabis quærendo: quâ ergo ¹⁷¹⁴ actione hoc honorarium, aut salarium peti possit? Respondeo: non actione mandati; sed si certum sit, extra ordinem. Arg. *L. 56. s. 3. ff. b.t.* *Struv. Exercit. 22. th. 8.*

Deducitur 5. Mandatum ad ¹⁷¹⁵ implendum esse intra fines præscriptos. *L. 5. pr. b.t.* Ratio est: quia nisi mandatarius fines servet, aliud egisse censetur, ac quod ipsi mandatum est, paria enim sunt non habere mandatum, & non servare illius fines, seu formam. *Muller. ad Struv. Exercit. 22. th. 9. lit. D.* Ex quo

1716 Habes 1mō: Mandatarium non servatis mandati finibus agentem domino non præjudicare. L. 3. b.t. consentit. Mev. p. 6. decis. 24 & 26. Ratio est: quia ita agendo sine mandato agit, adeoque actum nulliter gerit.

1717 Habes 2dō: Mandatarium excedendo fines mandati domino teneri ad interesse. Muller. ad Struv. loc. cit. Ratio: quia eo casu legem conventionis non adimplevit, quod idem est, ac si ipsam conventionem non adimplevisset.

1718 Habes 3tiō: Fines mandati quoque adimpleri posse per æquè utile, aut utilius. L. 5. §. ult. ff. b.t. in quo videtur consentire Muller. loc. cit. lit. E. Ratio est: quia cum mandatum sit contractus bonæ fidei, hinc non tam figura verborum, quam potius verosimilis mens mandantis est spectanda. Mantica de tacit. & ambig. conv. lib. 7. tit. 15. n. 25. Unde

1719 Deducitur 6. A mandatario fines mandati esse servatos, si rem carius vendidit, aut minori pretio emit. d. L. 5. §. ult. b. t. Franz. b. t. n. 15. q. 3. Ratio:

quia mandantis verosimilis mens est, ut mandatarius meliorem conditionem facere possit.

Deducitur 7. Mandatarium 1720 habentem mandatum: ut 100. vendat: si vendiderit pretio minori, non transferre dominium in emptorem. Ratio: quia venditio, ob defectum consensū mandantis, est nulla.

Deducitur 8. Mandatarium 1721 instructum mandato: ut 100. emat; si emerit carius, habere actionem mandati ad consequendam summam concurrentem, quo ad excedentem tantum exceptionem. Ratio posterioris est: quia quo ad summam excedentem actum nullum posuit. Ratio prioris, ne mandans cum mandatarii jacturali locupletetur. Mantica de tacit. & ambig. conv. lib. 7. tit. 15. n. 12.

Dissolvitur mandatum 1. re. 1722 vocazione mandantis, modò res adhuc sit integra, aut mandatarius indemnisi servetur. §. 9. Inst. b. t. ... 2. renuntiatione, factâ tempestivè & absque fraude. L. 22. §. ult. b. t. ... 3. morte mandantis. §. 10. Inst. b. t. ... 4. morte mandatarii. L. 27. §. 3. b. t. Franz. b. t. §. 9. n. 27. & seqq.

seqq. Boehm. ad ff. b. t. s. 26. & cum seqq. nec non Hahn ad Welenb. b. t. n. 10. ubi ita judicatum refert.

COROLLARIA

De mandato.

1723 **1um**: Mandatarius non tantum tenetur de culpa vera & præsumpta, sed etiam, in thesi loquendo, media negligentia, seu culpa levi, ut vocant. Quod probatur per L. 21. C. de Mand. Struv. Exercit. 22. th. 10. ibique Muller. ht. F. ubi rationem dat: quia cum in hoc negotio necessaria sit diligentia, industria, & opera, mandatarius hanc intelligitur appromittere.

1724 **2dum**: Mandatarius etiam tenetur de minima negligentia, seu, ut ajunt, levissima culpa. Coccejus in *Jure controv.* b. t. q. 13. post allegatos. Struv. loc. cit. quod probatur per L. 21. C. b. t. ibi: *Aliena verò negotia exacto officio geruntur, nec quidquam in eorum administratione negliguntur, ac declinatum culpā vacuum est.* Ratio est: quia in negotiis ultrò suscepitis, quale est mandatum, jus Civile non remittit rigorem. Conferatur n. 1378.

3tium: Licet de jure Justi 1723 nianæo ex contraetu mandatarii mandans contra tertium sibi non directam actionem L. 126. §. 2. ff. de V.O. sed tantum utili-
mediente cessione quærebat. L. 8. §. 5. ff. b. t. hodie ta-
men opus non eâ hâc subtilita-
te. Strick. in U. M. b. t. s. 7. post
allegatos.

4tum: Ministros principum 1726 eventus suorum consiliorum, saltem si admodum impruden-
tia sint, aut fraudulenta, præ-
stare, atque ex illis teneri. Strick.
loc. cit. §. 9. Ratio juxta n. 1706.
posset assignari hæc, quod mi-
nistri quasi peritiam in arte pro-
fiteantur;

5tum: Demoribus advocati, 1727 procuratores, & alii, qui non solent sine honorario aut stipen-
dio operas suas præstare, hoc condicione petunt. Lauterb. in
Colleg. Theoret. pract. b. t. §. 15.
Ratio: quia talibus personis ex tacito pacto, ipso constitutio-
nis facto inito, stipendum de-
betur.

6tum: Mandatarius miles 1728 gre-

gregarius ad laddendum alium per minas graves, etiam exequi solitas, ab officiale adactus, à pena ordinaria absolvendus est. Strick. in U. M. s. 21. Ratio potest esse hæc: quod hujus mandati executio non sit voluntaria,

ipso negotio, figuram veri contractū habente, ob naturalem æquitatem, tum quia hæ obligationes etiam ab invito v. g. qui indebitum accepit, sunt adimplendæ, tum quia quidquid alieni apud me existit, restituendum est, ac si defuper mecum contractum foret. Adhæc idem est dicendum de obligationibus bilateralibus, quæ consurgunt ex quasi contractibus v. g. negotiorum gestione &c, quatenus respiciunt partem alteram, quæ factum posuit; verum obligationes tales, quatenus illam partem, quæ nullum factum posuit, puta; dominum negotii absentem aut ignorantem respiciunt, ex consensu tacito, non vero, sive ex non secuta contradictione orto, sed à lege præsumpto, nascuntur, seu lex ob æquitatem naturalem consensum domini absentis, infantis, furiosi &c. supplet. Ratio est: ne dominus locupleteatur cum alterius iactura. Atque ex his vides; alios quasi contractus (loquendo etiam in sensu laxiori) ut indebiti acceptiōnem per rei interventum, aut etiam per facti positionem (ut negotiorum

TITULUS XXVIII.

De obligationibus, quæ quasi ex contractu nascuntur,

1729 Post contractus sequuntur quasi contractus, seu prout n. 1339. sum locutus, qui consensu tacito & à lege præsumpto perficiuntur. At quia hic varii varia sentiunt, hæc res est penitus inspicienda. Obligationum aliqua, quæ quasi contractibus, licet impropriè, adscribuntur, sunt regulariter unilaterales, v. g. ortæ ex indebiti acceptione, detentio rei alienæ &c, aliæ bilaterales, puta: ex negotiorum alienorum gestione aut tutelæ administratione natæ; de illis dici potest cum Coccejo in Jure controv. de pact. q. 12. quod ex consensu propriæ non oriantur, sed ex natura facti, hoc est:

De obligationibus, quae quasi ex contractu nascuntur. 331
tiorum gestionem respectu gerentis) perfici, alios autem, ut negotiorum gestionem respectu domini &c. per consentium tacitum, à lege præsumptum.

S. I.

De prima specie quasi contractuum, negotiorum gestione.

1730 Est itaque negotiorum gestio quasi contractus, quo quis alterius ignorantis, aut absentis negotia in ejus utilitatem sine mandato gratis administrat. Arg. traditorum per Coccejum in Jure controv. de Negot. gest. q. 2 § 3.
Ex quo

1731 Fluit 1. Ex hac gestione nasci duplēm obligationem, unam vocant principalem; quā gestor tenetur ad restituendum, quidquid domino occasione gestoris abest, & hæc ex mente Cocceji oritur ex gestoris facto, naturali æquitate accedente; alteram minus principalem appellant, quā obstringitur dominus ad servandum gestorem indemniem, & hanc producit consensus à lege ob æquitatem naturalem præsumptus.

Fluit 2. Per negotiorum alie 1732
norum gestionem induci hunc quasi contractum, licet etiam credantur fuisse propria, saltem ex æquitate L. ult. ff. de Negot. gest. intellige, ut inde de moribus consurgat actio utilis, cùm aliud in L. 14. s. 1. ff. comm. divid. de directa videatur statui. Franz. b. t. n. 4. p. 1. Vid. Coccejus b. t. q. 5. Boehm. b. t. § 2.

Fluit 3. Gestio negotiorum, 1733
pertinentium ad ignorantem, licet in urbe præsens sit, sufficit ad hunc quasi contractum. Coccejus b. t. q. 2. Ratio est: quia etiam hoc casu ex parte gerentis ponitur factum ex natura obligatorum, & lex præsumit domini consensum ob naturalem, quæ & hic subest, æquitatem.

Fluit 4. Negotiorum gestio- 1734
nem quoque esse, si dominus tantum absens sit, licet suum negotium geri sciat, modò contradicere non possit. Idem Coccejus loc. cit. q. 3. Ratio est: quia & hoc casu adstinet hujus quasi contractus fontes, factum nimurum & præsumptus conten-sus.

Fluit 5. Per mandatum, sive 1735

expressum, sive tacitum (nem-
pecum dominus gestioni inter-
fuit, aut absens quidem fuit,
scivit tamen, & contradicere
potuit neque contradixit) hic
quasi contractus excluditur. Ra-
tio est: quia hic contractus con-
sensum verum, licet duntaxat
tacitum, non admittit.

¹⁷³⁶ Fluit 6. Ad inducendam obli-
gationem hic requiri, ut utile
domini negotium gestum sit.
Struv. Exercit. 7. th. 49. Ra-
tio est: quia lex hic dominum
ex æquitate naturali, ne cum
gerentis jactura locupletetur,
obligat, nisi autem utile ejus
negotium gestum sit, hæc æ-
quitas cessat.

¹⁷³⁷ Fluit 7. Utile negotium ge-
stum dicitur, licet non corre-
spondeat utilis eventus, quia
bona intentio gerentis & prin-
cipium, non autem eventus
inspicitur. *Muller. ad Struv.*
loc. cit. lit. A. Ratio est: quia
hoc principio supposito lex
præsumit vel supplet domini
consensum, v. g. redemi ab
hostibus equum tuum, qui
postmodum casu periiit.

¹⁷³⁸ Fluit 8. Negotia aliena hic
gratis geri. Ratio est: quia lex

quidem domini consensum sup-
plet ex æquitate, ut gestor in-
demnis servetur, non autem ut
pro sua gestione mercedem con-
sequatur.

COROLLARIA

De negotiorum gestione.

1mum: Negotiorum gesto- ¹⁷³⁹
rem teneri de culpa tam vera,
quam præsumpta, supposito
etiam, quod negotia planè de-
lerta gerenda suscepisset. Arg.
L. 3. §. 9. ff. h. t. Ratio est: quia
hæculparum species dolo æqui-
parantur, eò quod salvâ fide
fieri non possit, ut quis mino-
rem rebus alienis adhibeat dili-
gentiam, quam propriis. *L. 32.*
ff. depositi.

2dum: Veriorem esse de Jure ¹⁷⁴⁰
& Praxi sententiam: quod ne-
gotiorum gestor non tantum de
media, sed etiam de minima ne-
gligentia teneatur. *§. 1. Inst. h. t.*
Struv. Exercit. 7. th. 50. ibique
Muller. Coccejus h. t. q. 6.
Boehm. h. t. §. 4. & alii. Ratio
est: quia in negotiis alienis, ul-
trò suscepitis, quidquid decli-
natur, aut omittitur, culpâ
vacuum

De obligat. quæ quasi ex contr. nascuntur.

333

vacuum non est. L. 21. C. Mand. cùm lex Civilis ibidem rigorem juris Naturæ non temperaverit. Nec obitant verba §. 1. b. t. ubi dicitur: *Si modò alius diligentior commodiūs administraturus esset negotia*: Hæc enim non continent exceptionem à regula, sed culpæ levissimæ descriptionem, tum quia in §. 2. *Instit. quib. mod. re contrah. oblig.* hæc culpa eisdem fere formalibus: *Si modò alius diligentior poterat eam rem custodire*, describitur, tum quia Imp. videtur dicere, si alius diligenter negotia potuisset administrare, non autem si alius paratus fuerit, ad ea diligenter curanda,

§. II.

*De secunda specie quasi contra-
etuū, tutelæ administratione.*

1741 Tutelæ administratio est quasi contractus, quo tutor negotia pupilli in ejus utilitatem gratis gerit. Ita habetur in hoc §. 2. unde tutor obligatur ex facto gestionis ad præstandum id, quod pupillo ex administratione debetur, pupillus autem ex consensu, per legem suppleto, ad tutorem servandum indemnem,

De quo vid. Tit. 13. de Tuteis & seqq.

§. III.

*De tertia specie quasi contra-
etuū, communione rei
singularis.*

Communio rei singularis est 1742 quasi contractus de rei singularis, citra societatem communis, divisione, ad alterutrius provocacionem instituenda, & omni eo præstanto, quod æquum est, hoc probat b. §. 3. Nascitur hic quasi contractus ex natura facti acceptationis legati v. g. ab utraque parte legatariorum posito,

§. IV.

*De quarta specie quasi contra-
etuū, hereditatis com-
munione.*

Hereditatis communio est 1743 quasi contractus de hereditate communi ad alterutrius provocacionem dividenda, illiusque commodis, & incommodis communicandis. Ita Imperator in hoc §. 4. Ratio est: quia coheredes ad hanc divisionem & communicationem ex natura facti, nimirum aditionis, obligantur.

X x

§. V.

§. V.

De quinta specie quasi caniratuum, aditione hæreditatis.

1744 Aditio hæreditatis est *quasi contractus de legatis & fideicommissis particularibus ex judicio defuncti debitis ab hærede, aditū hæreditate, præstandis.* Ita deciditur h. §. 5. Ratio est: quia ipsius aditionis indeoles ita est comparata, ut hæredem ad defuncti judicium implendum liget.

§. VI.

De sexta specie quasi contractuum, indebiti acceptione.

1745 Indebiti acceptio suo modo est *quasi contractus de indebito, per errorem soluto, restituendo.* Ita definit Imp. h. §. 6. Ratio denuò stat in indeole facti hujus, nempe acceptioonis, quia æquitas non patitur alienum retineri.

1746 Dixi autem 1. *De indebito soluto restituendo:* intellige, si nequidem de jure Naturæ debeat, aut quod nulla obligatio naturalis sit contracta (prout exemplum dedi supra de pupillo) aut quod in totum sit reprobata, quemadmodum repro-

Tit. 29. § 30.

bata est obligatio mulieris, contra Senatusconsultum Vellejanum fidejubentis. Ratio est: quia æquitas naturalis non permittit, ut retineatur, quod nequidem naturâ debetur. Unde

Infertur 1. Solutum, quod¹⁷⁴⁷ debetur obligatione naturali, licet minus plenâ, quale est mutuum filii, restituendum non est. L. 40 ff. *de condic. indeb.* Ratio est: quia hoc casu aliena non est pecunia, à filio soluta.

Infertur 2. Indebitum natu¹⁷⁴⁸ raliter, licet civiliter debeatur, restituendum esse, L. 5. C. *de pact.* Ratio est: quia haec obligatio civilis tantum est obligatio duntaxat secundum dici, adeoque solutum remanet absolute alienum

Dixi 2. *Pér errorem solutum indebitum restituendum esse:* Intellige errorem facti. L. 9. C. *ad L. Falcid.* unde solutum per errorem Juris non restituitur. d. L. 9. Ratio est: quia error Juris, saltem ubi solvens de lucro cap-^{Arg. leonis} tando agit,^{solvens &c.} non prodest. ^{galaq.}

TITULUS XXIX.

Per quas personas nobis obligatio acquiritur?

Hic Titulus coincidit cum¹⁷⁵⁰ Tit.

*Tit. 9. L. 2. hinc ne actum agam,
eò me refero.*

TITULUS XXX.

Quibus modis tollitur obligatio?

¹⁷⁵¹ Modi, quibus obligatio tollitur, in h. t. sequentes enumerantur: Solutio, Acceptatio, Novatio in specie, Delegatio, & Dissensus, de quibus ordine.

PRINCIPIUM.

¹⁷⁵² Primus modus dissolvendi obligationem est Solutio, seu actus, quo naturaliter illud præstatur, quod in obligationem quamcunque est deductum. Ita ferè Boehm. ad ff. de Solut. & Liberat. §. I. Ratio est: quia per talem actum adimpletur conventionis intentioni. Unde

¹⁷⁵³ Sequitur 1. Ad solutionem, prout est modus tollendi obligationem, requiri, ut dominium pecuniae transferatur. L. 61. ff. de Solut. Coccejus in Jure controv. de Solut. & liberat. q. I. Ratio est: quia tum demum contingit liberatio, si solutum ab accipiente repeti nequeat.

¹⁷⁵⁴ Sequitur 2. Solvendum esse

integralum debitum, particularis enim solutio invito debitori obtrudi non potest. Mev. p. 2. de-
cis 208. Ratio: quia haec ut plurimum est debitor noxia ~~ad~~ ^{ad} lori -

Sequitur 3. Solutionem in ¹⁷⁵⁵ contraetibus, ubi pecunia propter aliam rem est præstanta v. g. in emptione venditione &c. fieri posse in ea bonitate quæ est tempore solutionis. Boehm. loc. cit. §. 9. Ratio est: quia ita adimpletur tacita lex conventionis.

Sequitur 4. Solutionem præ-¹⁷⁵⁶ standam esse loco debito & tempore. Boehm. loc. cit. §. 10. §. II. Ratio est: quia alias non præstaretur, quod in contraetum tacite aut expressè est deductum,

§. I. & II.

De acceptatione.

Alter modus tollendi obliga-¹⁷⁵⁷ tionem est Acceptatio, seu imaginaria solutio, cum verbis contracta obligatio solemnibus verbis contrariis, interposita stipulatione, tollitur. Boehm. ad ff. de accept. §. 1.

Dixi 1. Cum verbis contracta ¹⁷⁵⁸ obligatio: Simplex enim acceptatio solam verbalem obligacionem tollit, cum unumquodque

336 Inst. Lib. 3. Tit. 30. de mod. quib. toll. oblig.

que eo tantum modo dissolva-
tur, quo est colligatum.

1759 Dixi 2. Solemnibus verbis con-
trariis, interposita stipulatione,
v.g. Titi; quod tibi debo ex
stipulatu, acceptumne fers? re-
spondente Tilio: acceptum fero,
tollitur tanquam per imagina-
riam solutionem obligatio.

1760 Petes: an ergo obligatio con-
fensualis, realis, aut liberalis
mediante acceptilatione tolline-
queat? Resp. simplici non, bene
tamen Aquilianâ, quâ hæ obliga-
tiones priùs in stipulationem
transfundebantur instar nova-
tionis, v.g. Promittisne dare
100. quos mihi exempto debes?
promitto, & ita transfusæ per
acceptilationem tollebantur.

1761 Hodie non est acceptilationis
usus, etenim apud Nos qualis-
cunque contractus per nudum
paetum tollitur, licet etiam ver-
ba solennia deficiant. Strick, in
U.M. de Acceptil. s. I.

§. III.

De novatione in specie.

1762 Tertius modus tollendi obli-
gationem est Novatio in genere,
seu transfusio unius obligationis
in aliam, mediante stipulatione fa-
cta Franz. b.t.p. 3, n. 1.

Hodie ad illam verborum so-
lennitatem non amplius respici-
mus, sed pacto etiam novatio
fieri potest. Strick. in U. M. de
Novat. & delegat. Ratio est: quia
sicuti hodie quocunque pa-
ctum modus est obligationem
inducendi, ita eandem tollendi.

Petes: utrum novatio fieri 1764
debeat verbis expressis? ita sen-
tit Strick. in U. M loc. cit. §. 3.
ob L. fin C. de Novat. Contra-
rium tuetur Gail. 2. observ. 30.
n. 7. 8. & 9. Priori sententiae ad-
stipulatur Brunnem. ad cit. L. fin.
notans: Partibus dari excepcionem
paeti eo casu, quo pactum
cum priore obligatione stare
nequit.

Quartus modus tollendi obli- 1765
gationem est Delegatio, seu
actus, quo debitor creditori stipu-
lanti debitorem alium suo loco sub-
stituit. Ita Franz. b.t.p. 4.

Delegatio requirit duos con- 1766
tractus, unus est mandatum,
quo delegans delegato injungit,
ut solutionem suo delegantis
creditori promittat; alter est sti-
pulatio, quâ creditor summam
debitam à delegato stipulatur.
laud. Franz. n. 5.

Finis Libri 3ti Institutionum.

COM-